BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
36
10 A
8

163

Prima

Fogl.

attaccato

alla Coperta

Pro Cella
B. Pagani
f. d. t. b. Casalen.

Cortesi

EPISTOLARVM PAVLLI SACRATI CANONICI FERRARIEN.

LIBRI SEX.

Ab eodem tertio recogniti.

Nonnullis ad eum additis doctiſsimorum & Eloquentiſsimorum Virorum.

PAVLLI MANVTII, & M. ANTONII MVRETI.

Eiuſdem in calce aliquot quæ Præfationes vocantur.

FERRARIÆ.

Ex Typis Victorij Baldini. 1582.

HIERONYMI BOVII CANONICI FERRARIEN.

Ad Librum Epigramma.

EXI *docte liber : latrantem deſpice vulgum :*
Deſpice, ſi ſtudeat carpere liuor edax.
Exieras nuper gratus : gratiſsimus exis,
Nec mirum : Auctoris munera SACRA *tui.*
Si tamen Archilocho haud placeas; dic, omnia morſu
Archilochus rabido dilacerare ſolet.

36.10.A.8

IACOBO SACRATO
Epiſcopo Carpentoracti,
CLARISSIMO ET OPTIMO
VIRO.

PAVLLVS SACRATVS
FRATER SVVS
S. P. D.

MIRVM me Antiſtes optime atque humaniſſime deſiderium poſteritatis tenet, cumq; ingraueſcente ætate multę aliæ cupiditates imminuantur atq; frangantur, vna hęc quotidie magis augeſcit. Neq; me id fateri pudet, Cum legã & præſtantiſſimos omniũ ætatum eodem ſtudio in[illegible]

fuiſſe, Et optimum quemq;
etiam nunc eidem poſterita-
ti ſeruire videam, quòd hoc
hominum generi a natura
datum ſit,vt cuncti memoriã
nominis ſui, quo ad eius fie-
ri poteſt, relinquere cupiant.
Sępe igitur hanc ego opinio
nem habui, ſi poſſem effice-
re,vt mea opera, qui vtriuſq;
noſtrum vitę curſus fuiſſet,
etiã poſteri ſcirent,Ac te qui-
dem,qui Romę diu, Peruſij,
Vicentiæ,in Piceno,in Cypro
aſſeſſor atq; Vicarius pro Ec-
cleſia Sancta multos exantla
ſti labores, diuina benignita-
te, ac maximo Gregorij xiij.
Sãcti & ſummi Pontificis be-
neficio, necnon ampliſsimi
Cardinalis Io. Moroni Viri ſa
pientiſsimi omniumq; præ-
ſtantiſsimi patrocinio & egre-
gia, nec opinantẽ,atq;
alia

alia omnia potius meditan-
tē Epiſcopū creatū fuiſſe: Me
vero poſt cōplures annos in
peregrinatione, aliquot autē
in gymnaſio Patauino con-
ſumptos in patriam redijſſe,
meq; totū eccleſiæ addixiſſe
in ea honorifico ſacerdotio
decoratū. Sed in eā quoq; cu-
ram admodū incumbere de-
bui, cum fratres germani ſi-
mus, vt huius fraternæ neceſ-
ſitudinis cōiunctionisq; no-
ſtræ ne poſteritas quidē om-
niū ſeculorū immemor ſit.
In qua cogitatione mihi cre
bro verſanti quæ ineunda ra
tio, & quæ via reperienda eſ-
ſet, difficilis mihi diu delibe-
ratio fuit, quòd cū ego ſem-
per ingenio atq; induſtria mi
nime potuerim, & ſtudia
mea occupationib. & nego-
tijs ſæpe interpellantib. inter

rūpta fuerint, ſi quid inchoa-
uerim, nunquā tamen perfe-
cerim. Demum cū mihi ve-
niſſet in mentē epiſtolarum
aliquot, quas ad amicos di-
uerſis temporibus dederam,
quarumq; exempla apud me
ſeruauerā, eas correctas, atq;
emēdatas in volumē redegi,
& cū intimis ac familiarib. cō
municaui: Illi vero me roga-
re valde cæperunt, vt illas in
aſpectū lucemq; proferrē: Aie
bāt .n. ipſas ſi nō omnib. ſaltē
ijs ad quos miſſę ſunt, gratas
fore, meq; admonebāt, vt ætа
tis meæ ferè iā exactæ ratio-
nē ducerē, per quā tēpus pro-
rogari mihi nō liceret. Quo-
rū voluntati obſequi & ſi diu
recuſaui, quòd eius generis
epiſtolę meę nō eſſent, q̄ dele
ctare poſſent, vt potè inanes
& frigidæ; cū tamen ſæpe ſti-
mulos

mulos mihi admouerẽt, annui tandẽ, atq; aliorum veſtigia imitari, & hæc mea ſcripta qualiacunq; eſſent, diuulgare ſtatui, quę vt typis etiam deſcribantur, diligẽter curaui. Nec, mihi crede, anceps fui, quem illis patronũ dare vellem; tu enim primus mihi occurriſti, cui has lucubrationes meas dicarem, & cũ tui nominis inſcriptione emitterem atque publicarem. Quod cõſilium vt ceperim, multæ, & iuſtæ me cauſæ impulerũt, Imprimis quòd mihi frater es cariſsimus, & optimus, quẽ iure diligere, & amare debeo; Tũ tua ſumma integritas, doctrina, & prudẽtia gubernãdi gregis tibi cõmiſsi, ac modeſtiſsimi tui mores ad obſeruandũ te magnopere me alliciunt; Deniq; tua

pclara atq; illuſtria facta, quibus tibi homines iſtos adiũxiſti, vt ex multis iſtinc litteris, quæ ad me perlatæ fuerũt, acnũcijs plene cognoui, poſtulant, vt te admirer atq; ſuſpiciam. Quare rationibus his adductus merito te omnibus præpoſui, atq; ex cunctis vnum delegi, quem vigiliarũ mearum primum capere fructum optarim, ſperans & vehemens hoc in te ſtudiũ meũ tibi non ingratũ atq; iniucũdum fore, & me haud reprehenſum iri, quòd erga te talẽ fratrem, cuius excelſa virtus iandudũ eluceat, certiſsimũ pro virib. propenſæ meæ erga te voluntatis ſignũ, ac præclarum mei de te iudicij teſtimoniũ dederim. Nã ſi ad ampliſsimũ virũ tale quidpiã miſiſsẽ, cõſcius mihi erã me ob-

trecta-

trectatorũ calunias nõ euitaturũ fuiſſe, quòd clariſsimorũ hominũ aures nugis obtũdere auſus, nimis mihi arrogaſsẽ. Accipe igitur munuſculũ hoc ab optimò ac tibi deditiſsimo animo profectum, Et cogita, quandiu epiſtolæ iſtæ extabunt, meam erga te incredibilem beneuolẽtiam atq, obſeruãtiam nunquam obſcurã fore, & in quorum manus peruenerint, ijs certè nos arctiſsimo fraterni amoris vinculo aſtrictos atq; cõiunctos fuiſſe, cognitum atque perſpectum iri. Vale humaniſ. Antiſtes, quem Deus opt. & clementiſſ. pro ſua benignitate diu ſaluum conſeruare ac fortunare velit. Ferr. v. Kal. Nouemb. die natali tuo. MDLXXIX.

TY-

TYPOGRAPHVS LECTORI.

S. P. D.

NOLI mirari lector optime, cur tertio Epiſtolas Paulli Sacrati Canonici Ferrarienſis typis meis deſcripſerim; Hoc enim munus vt obirem, duabus ego rationibus impulſus ſum: Altera quidem & prior fuit, vt famæ atque honori inſeruirem illius optimi & eruditi Viri, cui multum debeo, et valde addictus ſum; Nam cum ipſi maxima Lugduni Iniuria à quodam illata fuerit, qui eius epiſtolas typis mandauit, & ita deprauauit atque corrupit, vt legi non queant, ne dum intelligi, hanc ignominiam ferre non ualens illarum ſcriptor; ne ſibi vitio detur, quaſi ſua non aliorum culpa tales in publicũ prodierint, multis mecum verbis egit, vt eas rurſus deſcriptas publicarem, quas ad homines alienigenas atque longinquos ſtuderem perferri, hoc modo remedium malo huic adhiberi poſſe arbitratus ipſe, atque prouideri, ne quiſquam eius negligentia hoc eueniſſe putet; & ego illi denegare non potui, ne cum tot is in me officia contuliſſet, ingratus eſſem: Altera uero fuit, vt multis ſatisfacerem, qui epi-

epiſtolas illas à me flagitabant, cum enim bis eas edidiſſem, & nullas iam apud me haberem, denuo laborem hunc libenter ſuſcepi ſtudioſis vtilem, mihiq; ipſi non iniucundum. quòd eodem tempore & ei qui de me benemeritus eſt, morem geſſi, vt opinor, & meæ quoque vtilitati ſeruiui: Nolui autem eodē charactere vti, pudebat enim me non uariare, quaſi alij mihi Typi non eſſent. Quòd ſi opera mea ijs ad quos hæ litteræ peruenerint, grata fuerit, lætabor admodū; ſin aliter res ſucceſſerit ac ſperaui, meum caſum dolebo. Cupio quidem certe hanc meam omnibus ſententiam probari, ſicut ab optimo ac ſincero animo profectam eſſe profiteor. Vale lector optime, & maiora quotidie Immortali Deo propitio ex officina noſtra expecta. Ex Typographia noſtra Ferrariæ. Kal. Aprilis.
CIↃ IↃ LXXXII.

AD PAVLLVM SACRATVM
CANONICVM FERRAR.
Flauius Antonius Gyraldus.

QVIS *hoc beatum ter quaterq́; ſeculũ*
Vocare nolit pertinax?
Fandi reuireat cum vetus iã copia,
Inculta quæ olim exaruit.
Oblita erat gens, flexanima regem quod hæc
Vis vicit orbis vnicum.
Cum parcere hoſti ſuaſus, in cuius capus
Iam iam imminebat carnifex,
Iuſsit patroni deprecantis gratia
Solui hunc timore, ac vinculis.
Tu Paulle clara litteris, ac ſtemmate
Sacrata proles quem tulit,
Facis, reſurgat vt facultas aurea
Contempta vulgo ignobili,
Vtroq; geſtans quod Midæ aures tempore
Artis decora eſt inſcium.
Hoc tu qua amicis præditus volumine
Dicis ſalutem plurimam,
Campoq́; decurrens virenti, ac florido
Orationis flumine,
Sermone, ſtudio ac noſceris prudentia
Virtutis antiquæ æmulus.
Lætare plurimum, tuam præſtantiam
Sepulcra nulla contegent.
Vatiq; crede, hoc augurem dudum ſuo
Præſagiiſſe Apollinem.

PAVLLI SACRATI
CANONICI FERRAR.
EPISTOLARVM
Liber. 1.

AD
IACOBVM SACRATVM
Epiſcopum Carpentoracti
Fratrem ſuum.

PAVLLVS SACRATVS.
IO. BAPTISTAE SACRATO
PATRI SVO S. P. D.
Ferrariam.

LEGI *ſuauiſſimas litteras tuas mi Pater, in quibus quod petis à me, vel flagitas potius, vt nullas ad te litteras dem, niſi latinas, meas enim te nō eſſe lectu-rum, niſi latine ſcriptas, idq; ea te cauſſa velle, vt in optimo dicendi genere me exerceam; graue mihi certe onus imponis Pater, cum tu ipſe perſpicias me huc veniſſe, vt tota cogitatione, & cura in philoſophiæ ſtudia incumberem, in hisq; quoad ingenium meum ac diligentia ferret, proficerem: hæc autem ſtudia maxime inter ſe differre non ignores, quod in his, in quibus nunc verſor aſſidue,*

*de rebus agatur : in illis vero, in quibus tu po-
tiſsimum a me requiris, vt operam conſumã,
de verbis tantum quæratur : nec te lateat, ſi
ſtylo operam dedero, animum meum a phi-
loſophia, quæ hominem ſapientem reddit,
auocatum iri, quod eodem tempore vtraque
in re operam ponere nequeam. Sed tamen
tuæ, quoad potero, morem geram voluntati;
nec patiar vnquam, vt obedientiam à me de
ſideres: perficiam autem, vt cum multos ge-
nueris filios, atque eduxeris, ex ijs, qui te ma-
gis obſeruarit, atque coluerit quam ego, qui
tibi ſemper parere conatus ſum, iure affirma-
re poſsis fuiſſe neminem. Ad te vero
tunc ſcribam, cum ab hiſce ſtudijs feriatus
ero: Sæpe enim, vt tute ſcis, ab his vacare
nobis contingit: ac tam crebro mittam litteras,
vt non verear, ne non ſcribendo te exple-
am; at, ne te obtundam nugis, qui in foren-
ſibus cauſis totus occupatus es, valde pertime-
ſcam. Nunc has perbreues accipito, quæ
tibi teſtes ſint meæ erga te voluntatis; poſt-
hac longiores expectato. Vale mi pater, quẽ
mihi Deus Opt. Max. diu incolumem ſeruet.
Patauij. vi. Kal. Martij. CIↃ IↃXLII.*

IA

IACOBO SADOLETO
Cardin. auūculo ſuo. Romã.

NON ſum neſcius te mirari, cur ad huc tam raras, immo nullas ad te litteras dederim, cum ſumma erga te obſeruantia mea in primis hoc poſtularet, vt te litteris ſæpe ſalutarem; quod mihi quoque recordanti non poteſt non eſſe moleſtum, licet culpa carere me ſentiam: neq; enim hoc vlla mea negligentia accidit, ſed inopia argumenti digni præſertim amplitudine tua. Nam ſi aliquid mihi in mentem veniſset, quod ad te ſcribēdum putaſsem, meam certe in hoc diligentiam non requiſiuiſses. Nunc ego tuo nouo in me beneficio admonitus, non putaui mihi eſse prætermittendum, quin maximas tibi gratias continuo agerem, atque haberem, quod tu pro tua ſingulari humanitate mei commodi rationem duxeris: ſcribit enim ad me Florebellus, te cum Epiſcopo Veronæ per familiares diligenter egiſſe vt penſionem ſolueret; atque magna eius parte exacta ſtatuiſſe, vt integra pecuniæ meæ ſumma ex Camilli pecunia conficeretur, quam deinde Carolus Venetijs curari mihi iuberet. Quod tuum factum non mediocri mihi fuit argumento amoris erga me tui: planè enim oſtendiſti, etſi tot, ac tantis occupationibus diſtinearis, meum tamen hic ſtatum tibi valde curæ eſſe. Sed hoc meam erga te pietatem

minime auxit, quod ego ad eam nihil addere poſsim, ſtimulos quidem mihi admouit, vt in eam cogitationem incumberem, quomodo tua in me beneficia ſuſtinere queam: quæ etſi diffido vlla me vnquam induſtria, diligentia, atque opera aſſequi poſſe, niſi me tua humanitate adiuueris, mea tamen ſumma erga te obſeruantia pietateq; efficiam, vt ea apud me poſuiſſe te minime pœniteat. Te febrim tertianam habuiſſe ex eodem Florebello *cognoui, nec miratus ſum, cum iſtis maximis caloribus, quibus nemo in hac regione meminit maiores, pauci ſuam valetudinem tueantur: eoq; morbo te liberatum eſſe ita ſum lætatus, vt dolorem ſecutũ gaudium abſterſerit. Sed ſpero fore, vt in vinea tua belle ædificata, & ſatis amœna te ita reficias, vt priſtinas vires recuperes, atq; æſtatis moleſtias ſedes. Ego quoque, quoniam hoc temporis eſt, mea ſtudia intermiſi, exſpectoq; dum ſe calor frangat, vt alacrius ad ea redire poſsim.* Interim *valetudini do operam.* Vale *mi ampliſsime* Patrone, *ac perge me, ſi dignum ſtatuis, tua beneuolentia complecti.* Hieronimus Niger, *ac* Lazarus *noſter* Bonamicus *multam tibi ſalutem adſcribunt.* Patauij. V. Non. Quin*ctil.* CIↃ IↃ XLII.

P E-

PETRO LIPOMANO Epiſcopo Veronæ. Romam.

CVM antea ex multis, atq; illis quidem viris præclaris ea de tuis præſtantibus animi bonis, prudentia in primis, atq; doctrina cognoui, quæ me in tui admirationem impulerunt: tùm hoc tempore facile adducor, vt ita eſſe non dubitem, quòd video te iudicio ſapientiſsimi Pontificis, ampliſsimi etiam, & grauiſsimi Senatus ſententia comprobato, ad illam arduam prouinciam delectum fuiſſe, in qua aliquot ſuperiorum temporum viri præclariſsimi elaborauerunt, vt ſalutem ſcilicet Chriſtianæ Reipub. contra hoſtes tueare. In quo munere obeundo cum te ita prudenter, ac ſapienter gerere te audiam, vix vt imitationi factorum tuorum locus à te relinquatur, eſt quod non ſolum te magnopere admirer, ſed etiam Chriſtianæ Reipub. atq; huic ſæculo noſtro mirum in modum gratuler, quod alteri quidem opem feras non modicam, alteri verò etiam ornamentum parias. Atque magna ad hæc tua præclara bona acceſsio fit, quod ex ampliſsimo Saluiato patrono meo intellexi te non illos ſolum tueri, ac fouere, quos propter ſummam ipſorum doctrinam amore tuo dignos ſtatuas: verum eos quoque, qui ad optimas artes, & voluntate, & ſtudio pro-

penſi tibi eſſe videantur: cuius tanti apud me auctoritas fuit ſicuti in omnibus rebus grauiſſima eſſe debet, vt continuo ad te amandum colendumq; fuerim incenſus: ac præterea in ſpem venerim, cum ex eorum me numero agnoſcam, qui ſemper ſtudio litterarum flagrauerint, licet ingenij tarditate parum profecerint, fore, vt tu de meo animo certior factus, in amicitiam me tuam, ac fidem recipias. His *ego compluribus cauſsis motus, has ad te litteras dedi magnitudine animi tui fretus, eas tibi non ingratas fore, ex quibus perſpicias, quàm me libenter conferam in clientelam tuam, quem patrocinio tuo tueare, ac defendas.* Non *enim vereor, ſi tuæ humanitati conſtare volueris, eiq; opinioni reſpondere, quæ à me de te ſuſcepta eſt, atq; iudicio ampliſsimi viri confirmata, ne non mihi ad familiaritatem tuam aditum patefacias, præſertim cum ea mecum afferam, quæ tuam erga me beneuolentiam allicere debeant; quòd ſcilicet te magna cum admiratione tuarum præſtantiſsimarum virtutum colam, atq; obſeruem; teq; cum reliquis tui ſimilibus, quoad eius fieri poteſt, imitari ſtudeam.* A*ccedit ad hæc non mediocre illud vinculum, quo tecum adſtringor, quòd magna ex parte fortuna mea in tua benignitate, ac liberalitate poſita eſt, quæ ex annua penſione conſtat; in qua ſoluenda ſi te eum præſtiteris, quem animo effinxi, ad omnia*

vide-

videlicet, quæ meis ſtudijs accommodata futura ſint, paratiſſimum, poſſum ne ego refugere, quin tuas laudes perpetuo prædicem; tu vero, ne me tibi tantopere deditum tua beneuolentia complectare? quo mutuo inter nos officio cum tecum coniunctus ſim, tu me amabis, ac meam iam ſummam erga te obſeruantiam tibi eſſe gratam re ipſa comprobabis. Vale Antiſtes optime.

HADRIANO Epiſcopo Iuſtinopolitano.

NOLI mirari Antiſtes integerrime, quòd ego tibi de tua dignitate ſero gratuler: non enim te Epiſcopum creatum eſſe ante audiui, quàm Iacobus frater meus me de hoc admonuit, qui ſe id ab amicis ſuis, qui Romæ ſunt, intellexiſſe mihi affirmauit. Quòd ſi antea de hoc iucundiſſimo nuncio certior factus fuiſſem, nunquam certe officium meum iamdiu tuæ excellenti virtuti debitum deſiderraſſes. Nam cum te ſemper plurimi fecerim ex eo tempore, quo tu Patauij τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ *Ariſtotelis egregia tua cũ laude legebas, meamq́; quotidie erga te obſeruantiã auxerim, quòd abs te me vehementer diligi cernerem; tu vero, quotieſcunque ſors tulit, vt hac tranſieris, veteris coniunctionis noſtræ non oblitus, nec tuæ ſummæ humanitatis, me diſcipulum tibi dediiiſſimum*

præceptor amantiſſimus ſalutare volueris; in hanc, opinor, cogitationem venire non potuiſti, vt me in colenda amicitia muneris, ac officij mei, ſi rem cognouiſſem, immemorem fuiſſe arbitrareris. Nec ego eò dico, quòd te *de meo multo in te ſtudio, ac propenſa voluntate vnquam veritum fuiſſe credam; ſed quòd, cum ſine vlla mea negligentia gratulatio prætermiſſa ſit, tarditatem meam excuſari, atque locorum interuallo, quo diſiuncti ſumus, omnem culpam tribui poſtulo.* Nunc *igitur vere, & ex animo tibi gratulor, nec, vt tibi, ſicut pleriſq;, qui nulla virtute ornati honorum ſplendore illuſtrati fuerunt, dignitas iſta laudi ſit exopto; ſed abs te viro prudentia, doctrina, omniq; virtutum genere valde prædito, eam ipſam honeſtari mirum in modum lætor: nec dubito, ſi multos tui ſimiles haberemus, quin* Religio *noſtra ab aduerſarijs iamdiu agitata, atque debilitata, per vos tandem recreata conquieſceret, atq; omnibus venerationi eſſet. Sed, vt hæc mittam, quod ad me attinet, illud te rogatum maxime velim, vt, cum me ſemper admodum amaueris, atque animaduerteris te à me magnopere coli, des operam, ne dignitas tua mihi noceat, quin me in numerum tuorum iã aſcriptum, & eorum præſertim, qui tibi dediti ſunt, perpetuo ſerues.* Me *enim tuarum laudum prædicatorem, nominis tui cultorem, & ad omnia, quæ mea quidem in po-*

teſtate ſunt, tibi vero gratiſsima fore intel-
lexero, paratiſsimum ſemper habebis. Vale
Antiſtes optime. Ferrariæ.

IO. BAPTISTAE SARACIO.

ETSI non dubitabam antea Saraci optime, quin me amares: (multa enim & eximia amoris erga me tui ſigna mihi ſæpe dediſti) hoc tamen tempore, quo de magno meo, ac fratrum meorum commodo agebatur, perſpicere tuum in me ſtudium, tuamq; ſingularem humanitatem, quæ te impulit, vt teſtificationem de eo manu tua ſcriptam ad me mitteres, de quo te per litteras rogaueram, iucundiſsimum certe mihi fuit, atq; optatiſsimum. Nolim tamen arbitrere me hoc mihi arrogare, vt tu epiſtola mea adductus, orationeq; mea delinitus, tali me beneficio affeceris: nimis enim eſſem arrogans, ſi eam me in dicendo habere vim mihi perſuaderem, vt voluntatem tuam ad meas vtilitates allicere poſſem: ſed hoc totũ tuæ excellentis virtutis, ac humaniſsimæ naturæ proprium fuit. Natus enim ad conciliandos tibi multis officijs hominum animos, atq; altitudinẽ animi tui in benemerendo de bonis quotidie exercens, cùm omnes ſummo amore tibi deuinxiſti, tùm quoq; meum erga te animum adeo prouocaſti, ut te perinde atq; alterum parentem beneuolentia, ac veneratione pro-

ſequar. Demum pro tuo hoc non vulgari officio, quod nulla tua occupatio vel maxima interrumpere potuit, me tibi obſeruantiam, atque pietatem, omnia denique ſumma in te officia, & ſingularia ſtudia debere fateor. Non ago tecum de referenda gratia: tibi enim ſemper ornandi mei facultas dabitur, qui & auctoritate polles & fortunis; mihi autem ad remunerandum nihil ſuppetit præter voluntatem, quam nihilominus in te adeo conſtantem retinebo, vt, ſiquando occaſio tulerit, re ipſa tibi indicare vt mihi liceat quo ego pacto ſim erga te affectus, eam profecto non ſim amiſſurus. Agam ne igitur tibi gratias? mihi crede, non reperio quibus verbis: nam cũ meæ orationis facultatem longe ſuperet virtus tua, ac recens nũc amoris erga me tui ſignificatio, ineptiarum merito inſimularer, ſi ad gratiarum actionem aggrederer cum res tibi verbis ſatisfieri minime patiatur. Reliquum eſt, vt gratia à me tibi habeatur, quam certe maximam, & perpetuam exſpectare debes: Nam & in ſacris meis ita te tuaq; erga me merita memoria tenebo, vt me quàm gratiſsimum erga te ſemper iudices, dignumq; cuius patrocinium quotidie ſuſcipias, tuaq; beneuolentia tueare. Vale præſtantiſsime Saraci: teq; nobis Deus Opt. Max. incolumem diu ſeruet, atque fortunet. Ex AEdibus noſtris.

IO. BAPTISTAE FOSCHINO Vicario.

NON *queo tibi ſatis explicare Foſchine optime, quantam mihi Præpoſiti noſtri aduentus lætitiam attulerit; cuius potiſſimum opera effectum eſt, vt ampliſſimus Cardinalis noſter profectionem ad vrbem in menſem Septembrem reiecerit: maximam certe cepi. Nam cum de meo hinc diſceſſu valde ſollicitus eſſem, quòd magno meos, meaq; omnia incommodo afficerem, ita hoc nuncio ſum recreatus, vt reuixiſſe nunc mihi videar. At ſane complures cauſſæ intercedebant, quæ me abeſſe ægre patiebantur, pietas primum in matrē meā Margaritā, Sadoletam Sacratā, a qua me diuelli moleſte ferebam, domeſticarum etiam rerum cura, lites item multæ, a quibus vt aliquando me expediam, optare quidem, ſed vix ſperare licet: denique iucundiſſimus congreſſus tuus, in quo ita conquieſcere ſoleo, vt omnes etiam curas, animiq; moleſtias deponam. Quòd ſi mihi iter facere contigiſſet, quid erat, quod me delectare potuiſſet, vt in obliuionem tot ac tantarum rerum venirem? Excipio ſuauiſſimam præſtantiſſimi, atque humaniſsimi Marcelli noſtri conſuetudinem, in qua vnicum mihi laboris, atque moleſtiarum ſolatium repoſitum eſſe mihi perſuadebam: quæ ſi tanti fuiſſet, vt omnem animi languorem, quem ego*

non mediocrem ex abitu meo eram capturus, potuiſſet abſtergere, præclare mecum actum eſſe non dubitaſſem, Sed, ne mentiar, mihi moleſtum non eſt, quod huius rei periculum minime fecerim: quin talem occaſionem ſe ſe mihi obtuliſſe, vt experiri non fuerit neceſſe mirum in modum lætor. Quid enim amplius deſiderem, quàm quod Dei optimi maximi benignitate mihi tributum eſt? Ego res meas domeſticas ita tracto, vt eodem tempore & tua, & Martellij noſtri optatiſſima conſuetudine non caream: & quantum ab occupationibus otij mihi datur, totum in ſtudijs conſumo. Itaq; permagna immortali Deo gratia a me perpetuò habenda eſt, qui me ex his moleſtijs eripuerit, ac, vt ad mea me referre ſtudia poſſem, benignè mihi conceſſerit. Fortaſſe dices rem quidem dilatam, ſed plane non eſſe depoſitam. Ego vero tibi affirmo me tantum de humanitate Martellij noſtri, eiusq; in me amore mihi polliceri, vt eum omnia facturum eſſe confidam, ne à ſtudijs, atque negotijs meis abducar. In quo tu quoque, opinor, me adiuuabis: ita enim & ſumma mea erga te obſeruantia, tuaq; item in me beneuolentia poſtulant. Quod ſi acciderit, vt iucundiſſimo illius conſpectu aliquando priuer, crebro tamen litteris cum eo colloquar, abſentisq; deſiderium, quoad fieri poterit, lenire conabor. Præterea in ſermonibus & collocutionibus noſtris ita ſæpe

de eo mentionem faciemus, vt eum tertiò quoque verbo appellemus. Reſtat, vt cum Martellio agas, quò ex eo albo eximar, in quo eram deſcriptus: nam ſi mihi, & opera, & officio non defueris, vt hoc impetrem, domiq; maneam, magno me non ſolum beneficio affeceris, ſed etiam in perpetuum me tibi deuinxeris. Ego quoque magnam te ex quotidiana congreſſione noſtra voluptatem capere facile perſpiciam. Vale Foſchine doctiſſime. Ex Aedibus noſtris.

F. AEGIDIO EPISCOPO Mutinæ. Tridentum.

S AEPE *cogitaui Antiſtes integerrime, atq; doctiſſime litteris te ſalutare, atq; meã propenſam in te voluntatẽ in memoriã tuã redigere. Sed vbi diiudicare incipiebam, quis ego ad quem, ab hoc me officio pudor ſtatim deterrebat: verebar enim ne, cum huiuſmodi haud eſſent litteræ meæ, quæ te delectare poſſent, nugis te meis interpellarem. Cum vero tua in me & fratrem meum Philippum Romæ innumerabilia beneficia, tuamq; ſingularem humanitatem memoria repetebam, adduci non poteram, quin meam tuorum in me meritorum, tuæq; ſummæ in me benignitatis recordationem, ſi de ea per litteras à me certior fieres, tibi non ingratam fore crederem. Hæ igitur cogitationes cum verſarẽtur*

in animo meo, & quo me verterem, difficilis eſſet deliberatio, omnem mihi ſcrupulum exemit Alphonſus Roſſetus Epiſcopus Comaclenſis, vir certè in omni virtutum genere excellens; in quo tanta fuit humanitas, vt cum ſuam iſtuc profectionem pararet, vbi tecum, & cum cæteris collegis negotium Chriſtianum gerat, non modo me ante admonuerit, an ad aliquem primarium virum mihi amiciſsimum litteras dare vellem, ſed animũ etiam addiderit, vt ſtrenue munus hoc obirem. Mihi verò conſideranti,, quibus magno eorum in me merito obligatus eſſem, Tu primus occurriſti, ad quem potiſsimum ſcriberem, cuiq; me plurimum debere faterer. Quas ad te litteras eò libentius miſi, quòd nuncius ita egregius eas tua lectione dignas redditurus ſit. Accedit etiam, quòd, cum ego maximè cupiam tibi explicare, quanti præſtantiſsimas tuas virtutes, integritatem, benignitatemq; , nec non ſuauiſsimos mores tuos faciam, ac præterea ſummam in te doctrinam admirer, nulla vero mea diuinas laudes tuas æquare poſsit oratio, ipſe de mea erga te non mediocri obſeruantia, ac nominis tui cultu cùm copioſe, tùm ornate ita exponet, vt ſingulari propè quodam fato meo contigiſſe mihi putem, quòd opportune talem ſim nactus, qui hoc me onere longe viribus meis impari leuare poſsit. vnum tantum hiſce litteris tibi ſignificare volui, mirum me iſtuc te ſalutatum ve-

niendi

niendi deſiderium tenere: In quo certe mihi ipſi non deero: conabor enim, dum ver appetat, ab ijs controuerſijs, atque occupationibus, quibus effectum eſt, vt nec cum Mutinæ eſſes, quæ meæ erga te partes eſſent, vnquam ferè meminerim, breui me expedire, quò iſtic optatiſſimo, dulciſſimoq; conſpectu tuo, atq; congreſſu, quoad negotia tua ſacrarumq; litterarum ſtudia ferent, tranquilliore, lætioreq; animo frui poſſim. Quo tempore ita clara deditiſſimi tibi animi ſigna oſtendam, vt iamdudum in intimis viſceribus inhærere tuum nomen facile perſpicias. Interea tu me in gratia tecum eſſe patiere, à qua ſi forte mea culpa, negligentiaq; excidiſſem, vt in eam me reſtituere velis, te rogo vehementer & obſecro: facies enim quòd optima tua, humaniſſimaq; natura poſtulat, atq; ad magna tua erga me beneficia cumulus etiam accedet. Collegam tuum Epiſcopum Veronæ præſtantiſſimum integritate, ac doctrina virum, quem etiam de facie noui, dum ille Patauij elegantiſſime, doctiſſimeq; concionaretur, cum ſeſe tibi offeret occaſio, meis verbis ſaluere iubeas velim. Is autem cum annuam mihi penſionem libenter curet, eximio meo erga illum ſtudio ita compenſatur, vt eum maxime obſeruem, & venerer. Hoc ipſe vt intelligat cum valde exoptem, ſi te auctore impetraro, mihi etiam atque etiã gratiſſimum feceris. Vale mi ampliſſime

Pa-

Patrone, quem Deus opt. max. incolumem diu ſeruet Ferrariæ.

LVDOVICO BECCATELLIO Archiepiſcopo Raguſino.

POSTQVAM *Antiſtes optime, atq; integerrime caſus ita tulit, vt, cum tu ſemel hac iter habuiſſes, atque humaniſſimum, doctiſſimumq; Martellium de me fuiſſes percunctatus, ego abeſſem, ruſticarerq; ; à fratre vero admonitus de tuo iterum ad nos aduentu; vt hinc te Tridentum conferres operã Chriſtianæ Reip. nauandi gratia, incredibili te cupiditate expectarem, quò ſuauiſſimo conſpectu tuo fruerer: Tu tamen, mutata itineris ratione, alia via eò perrexeris: non potui certe tui deſiderium amplius ferre. Sed cum eadem de cauſſa iſtuc proficiſceretur Alphonſus Roſſetus Epiſcopus Comaclenſis humanitate, ac doctrina, plurimoq; rerum vſu vir præſtans, meiq; amantiſſimus, ſtatui in hoc vti egregia eius opera, vt meas ad te litteras perferret. Ex quibus velim perſpicias, cum te tanti faciam, teq; ſummopere obſeruem, ac venerer, me tamen mihi ipſi non ſatisfacere. Nam, vt de præclariſſimis tuis virtutibus integritate, humanitate, doctrinaq; taceam, quibus neque oratio mea, neq; ingenium vnquam par eſſe poterit, cum tot ac tanta tua in me officia memoria recolo;*

quæ ab initio recenſere longum & ſuperuacaneum eſſet, & amoris erga me tui magnitudinem animo complector; tantum me tibi debere ſentio, quantum me nunquam perſoluturum ſperarem, niſi benignitas tua incredibilis mihi polliceretur, ſi gratiſſima recordatione omnia tua erga me ſtudia proſequar, te perinde voluntatem & animum meum accepturum eſſe, ac ſi tibi omnino gratiam retuliſſem: Hac ego ſpe recreatus, in prædicatione tuarum laudum, ac tuorum erga me meritorum commemoratione ita verſabor, vt te ſummum apud hominem gratum poſuiſſe beneficium omnes facile iudicent. In quo mihi quoq; adiumento erit Iacobus frater meus, qui luſtrata ab eo paucis ante diebus terra ſancta atq; Damaſco, totaq; ferè Siria, ex Cypro, cum uaſtiſſimum mare hieme trãſierit, incolumis nuper ad nos peruenit. Is enim, quotieſcunq; in ſermonem de tua excellenti virtute incidimus, quod perſæpe nobis vſu venit, ita de te mirabiliter & ſentit, & loquitur, vt mirum in modum te colat, ac parentis loco ducat. Itaque fit, dum ego cum eo conſentio, vt amore cultuq; nominis tui ambo exardeſcamus. Qua de re ſi domeſticis curis atque negotijs, quibus adhuc valde diſtineor, me relaxaro, in quo nullum laborem recuſabo: vt ex ijs me penitus explicem, iſtuc te veneratum accedam, vbi congreſſus tui ſuauitatem, quoad mihi

per occupationes tuas licuerit, ita me guſtaturum ſpero, vt tui deſiderium magnopere leniam. Tu quoque vt me amare pergas, & in numero tuorum intimorum eſſe velis, etiā atque etiam peto: facies enim quod humanitatis tuæ maxime proprium eſt, atque integerrimis moribus tuis conſentaneum. Vale Patrone humaniſſime.

PAVLLO MANVTIO ELOQVENtiſſimo Viro. Venetias.

QVANTAM ex Ioſephi Faſinardi noſtri aduentu Præſtantiſſime Paulle voluptatem ceperim, præſertim quòd is nuncium mihi iucundiſſimum optatiſſimumq; attulit, optima nunc te atq; integra valetudine eſſe, tu te ipſe exiſtimare potes, quem iam optime ſenſus meos noſſe, ac meum in te ſingulare ſtudium ſummamq; obſeruantiam perſpexiſſe non dubito. Quæ autem fuerit noſtra inter nos collocutio; tametſi tu quoq; diuino illo ingenio tuo longe prouidere potuiſti, tamen videntur etiam aliquæ meæ partes. Quòd ſi nouo tecum ac mihi iandiu inuſitato ſermonis gnere agere videbor, vnum hoc cogita Ioſephum, cui multum tribuo, ſcribendi alacritatem mihi addidiſſe. Ac Paulle doctiſſime laudes tuas non attingam: Quæ enim vis orationis in me eſt, qui parum ingenio poſſum, vt ad dicendum de virtute

tua aggredi audeam? Nam cum tanta ſit nominis tui celebritas, ac tam illuſtris, & conſpicua tuæ ſingularis doctrinæ atq; eloquentiæ laus, totiusq; orbis terræ iudicio iam comprobata, atq; eò maxime quòd romanam eloquẽtiam tanquam ab exilio reuocaueris, ac priſtino nitori ſuo tu vnus reſtitueris, nonne ineptus merito iudicer, ſi hæc litteris perſequi uelim, ac præclariſſimæ luci tenebras offundere? Quare ne in eos me laqueos induam, a quibus uix tu vnus eloquentiæ pater expedire te poſſes, mittam de te dicere. Quæ uero mea intereſſe puto, ea commemorabo, neque enim cauſam cur tanto Ioſephum exceperim gaudio, prætermittere fas eſt. Nam cum unà eſſemus, atque Io. Baptiſtæ Saracij eximij uiri tuiq; ſtudioſiſſimi ad curiam expectaremus aduentum, ut mandata tua diligenter curaremus, multa ille primum de negotijs tuis, & quo etiam pacto uitam factis traducas egregijs, eleganter narrauit, quæ me ualde oblectarunt: Deinde in eum ſermonem incidit, ut diceret te honorificam de me ſæpe mentionem facere. Quæ eius oratio tanta (ut ingenue fatear) me lætitia affecit, ut nimio gaudio mei penè oblitus eſſem. Ac quidem cum in me nihil eſſe penitus agnoſcam quod uoluntates alienas ergà me allicere poſſit, me tamen in ore tanti uiri, quem præ cæteris ualde ſuſpicio, cuiq; neminem antepono, quòd non medio-

trem animi ſinceritatem cum doctrina, & eloquentia admirabili coniunxerit, uerſari tantopere cum affirmet ipſe Ioſephus, nonne eſt cur mihi uehementer gaudeam? Sed tamen quòd mei memoriam teneas Paulle humaniſſime, totum hoc tuum eſſe, at tuæ incredibili humanitati aſcribendum nemo dubitat. Quòd uerò te admodum admirer, tua excellens uirtus me iandudum prouocat. Denique quòd me tibi perpetuò deuinctum fore pollicear, tua in me innumerabilia maximaq; officia uehementer poſtulant. Quare perge quæſo tua me beneuolentia complecti, pateq; me in eorum numero eſſe apud te, qui tuæ ſingulari uirtuti plurimum fauent, maximeq; addicti ſunt. Me enim tibi deditiſſimum atq; ad omnia, quæ ad tuam dignitatem, & commodum pertinere arbitrabor, alioqui paratiſſimum, reddes etiam alacriorem. Interim non intermittam Deum optimum max. precari, ut te nobis pro diuina ſua benignitate incolumem diu ſeruare uelit, quo clariſſima ingenij tui monumenta non ſolum amicis: ſed omnibus etiam exteris nationibus deguſtare liceat. Vale ætatis noſtræ decus, atq; Aldo uere imagini tuæ, nec non eruditiſſimo Morando noſtro multam meo nomine ſalutem imperti. Ferrariæ iiij. Kal. Maij. CIↃ IↃ LXI.

PAVL-

PAVLLVS MANVTIVS
Paullo Sacrato. Ferrariam.

SOLET *interdum euentus eſſe gratior, quam cauſſa, interdum etiam cauſſa, quam euentus: me delectauit utrumq; pariter in literis tuis. nam, & ut latine ad me ſcriberes, homo tum domeſticis curis, tum etiam ſedandis, ut audio, multorum controuerſiis aſsidue diſtentus, certe amor impulit, atq; humanitas: & epiſtola tua ita mihi ornate, ita copioſe omnes non modo animi, uerum etiam ingenij tui partes expreſsit, ut nihil unquam legerim libentius. Ego tibi antea optime Sacrate, tribuebam ſane multa, quæ pauci conſequuntur, prudentiam, integritatem, doctrinam, maxime uero præſtantem quandam ad excolendas officijs amicitias, & uoluntatis, & naturæ propenſionem: iſtam uero orationis exornandæ facultatem, quæ cùm multi temporis, magnæq; uidetur eſſe induſtriæ, tùm uero, ut ego ſentio, atque uſu etiam didici, ab intimo quodam, planeq; recondito depromitur artificio, uix putabam tibi inter diuerſa plane ſtudia poſſe contingere. ſed uidelicet id me fefellit, quod ingenium tuum communibus metiebar exemplis: nec mihi ueniebat in mentem, Auunculi tui* Cardinalis Iacobi Sadoleti *præceptis, & conſuetudine domeſtica aditum tibi ad omnem*

glo-

gloriam eſſe patefactum. nam cum ille cunctis uirtutibus, quas laudabit poſteritas omnis, aſſequetur fortaſſe nemo, bonorum, ac ſapientium iudicio uirorum excelluerit: haec tamen in primis latine ſcribendi laude ita floruit, ut ueteres illos propemodum aequauerit, nos quidem per eandem uiam cupientes excurrere, longe reliquerit, ſed, ut ex epiſtola tua conijcio, conſeruabis hoc quaſi patrimonium familiae ueſtrae proprium; & haec tibi communis haereditas erit cũ patrueli fratre tuo Paullo Sadoleto, quẽ omnes homines adegregia quaeque natum intelligunt. Equidem in hoc mihi ipſe plurimum gratulor, qui tibi harum litterarum, quibus neſcio an quidquam non modo humanius, uerum etiam ornatius eſſe poßit, cauſam dederim. nam Ioſephũ Faſinardum, quem ob eius doctrinam, & mores egregios uehementer amo, oblitum arbitror modeſtiae ſuae, cum de me loqueretur, & utrumque ueſtrum in eo conſenſiſſe, ut ille, te libenter audiente, pro ueris falſa narraret, aut certe ueris plurimum affingeret; tu illi plena manu, ut ſaepe prodigus amor eſt, ea, quae prorſus non agnoſco, in me conferenti, pro tuo in me ſtudio libenter, & facile crederes. utinam quidẽ, qui uobis nunc eße uideor, is aliquãdo eſſe poßim: quòd quia ſperare non licet, ne cur optem quidem eſt. Meus in te animus (quid enim praeterea pollicear?) officio erit, mihi crede, ſingulari:

queq́; à te in meis rebus opera, atque beneuolentia nauatur, perpetuo quodam erga te ſtudio ita compenſabitur, vt mihi nemo omnium, excepto amore domeſtico, te vno carior, aut iucundior vnquam eſſe poſſit. Fran*ciſcus* Morandus*, cuius ego contubernio, & quotidiana conſuetudine mirifice delector, vir egregius, nec iuris tantum ciuilis peritia, ſed poetica etiam laude, & litterarum elegantia vehementer excellens, mutuo te diligit, & qua ego tuis verbis eum ſalute impertiui, eandem tibi vt eius nomine his litteris adſcriberem, diligenter mandauit. Tu ſaluere plurimum à me iubeas* Io. Baptiſtam *Saracium deditum ſemper optimis diſciplinis, maximeq́; cupidũ ornandæ uirtutis,* Itemq́; Franciſcum*, quem vidi nunquã, amo tamen ſic, vt mihi te riualem eſſe vix patiar.* Vale. Venetijs.

PAVLLVS SACRATVS Paullo Manutio. Venetias.

O *Suauiſſimam, ac mihi inexpectatam diuinam epiſtolam tuam. Quanto exultauerim gaudio cum mihi reddita eſt, ex hoc coniecturam facere potes, quòd amicos meos tui ſtudioſiſſimos voluptatis meæ continuo feci participes. Qui cum eam legerent, mihi magnopere gratulabantur, quód me tam facile in amicitiam tuam inſinuaſſem, incredibilem*

vero

vero humanitatem, & comitatem tuam admirabantur, quòd tu me libenter recepiſſes. Ac mirum cui videri non debeat ſummum illum virum Paullum Manutium grauitatis interim oblitum ſuæ, ad tantam demiſſionem delabi potuiſſe, vt me vix dignum, quem interdum nominet, ſibi tanto ſtudio fouendũ ſuſceperit, vt etiam immortalitati clariſſimis ſcriptis ſuis tradere voluerit? Mihi vero nouum hoc minime accidit, quippe qui te ea natura, animiq; magnitudine præditum eſſe iam perſpexerim, vt a quibus te ex animo coli iudices, eos ita ames, itaq; ampleƐlare, vt non ſolum beneuolentia tua dignos, ſed etiã lucubrationibus tuis illuſtres reddas. Denique te talem eſſe agnouerim, vt nemini, qui paululum politiores litteras attigerit, Iucundiſſimam conſuetudinem tuam claudas. Quòd vero ijs me laudibus ornas Paulle optime, ac præſtantiſſime, quas in me nullas penitus agnoſco, nec vnquam mihi arrogabo, vt vllæ mihi debeantur, cum nullum ingenij atque virtutis ſpecimen adhuc dederim, quod magnæ tuæ de me opinioni reſpondere poſſit, Vide ne, dum amori nimiũ tribuis, de grauiſſimo, ac ſubtiliſſimo tuo iudicio multum deroges, nemo enim non videt te pro tuo in me ſtudio eò progreſſum eſſe, vt quem me eſſe velles, admirabili tua eloquentia deſcripſeris. Quæ quidem tuæ non mediocris erga me voluntatis ſignificatio non

plane

plane effecit, vt ad ſummam meam in te ob-
ſeruantiam aliquid accedat, quæ iam cumu-
lata eſt, ſed vt in hac quotidie cogitatione
verſer, quomodo celeberrimum nomen tuum
gratiſsimo animo proſequar. Quod cum fe-
cero, ne minimam quidem tuorum in me offi
ciorum partẽ aſsequi me poſſe confido. Quod
reliquum eſt, cum pro tuis ſingularibus in me
ſtudijs non referre quidem gratiam tibi, ſed
cogitare uix poſsim, immortales tamẽ tibi gra
tias ago, polliceorq; me tui in me amoris, cu-
ius ſignum elegantiſsima epiſtola tua mihi nõ
exiguum nunc dediſti, memoriam perpetuò
conſeruaturum ita recentem, vt te tot in me
beneficia contuliſſe quotidie magis delectet,
nedum vllo vnquam tempore pœniteat. Va
le. Ferrariæ iij. Non. Maij.

EIDEM VENETIAS.

QVANTO ſim gaudio affectus præſtan
tiſsime Paulle ex ſtudio, ac tua erga me hu-
manitate tuam de mea epiſtola dicendo ſen
tentiam, non reperio verba, quibus tibi hoc
explicem, nec ſi tuam maximam in dicendo
vim atq; eloquentiam abs te mutuarer, par
vlla lætitiæ meæ poſſet eſſe oratio. Nam ni-
mis magna beneuolentiæ erga me tuæ indicia
oſtendis, tantisq; me officijs tibi deuincis,
vt ne cogitandi quidem gratiam, ſi maxime
velim, nedum tibi referendi facultas mihi

detur. Accedit etiam, quòd video nonnullas eſſe in hac amoris ſignificatione partes ſuauiſſimi Aldi noſtri: litteras enim eius manu ſcriptas eſſe cognoui, atq; fit, vt cum vtriq; veſtrum tantum debeam, quantum me nunquam perſoluturum certo ſcio, veſtra innumerabilia in me merita nec gratiarum actionem deſiderent. Itaque tanto officij onere opprimor, vt niſi incredibilis tua humanitas mihi adiumento fuerit, hanc beneficij magnitudinem omnibus viribus ſuſtinere nō queam. Quòd autem me mones, vt epiſtolas Ciceronis ad atticum legam ſæpe, & perlegam acutiſſimarum .n. eæ ſententiarum refertæ ſunt, monitis tuis atq; præceptis parebo, dum per forenſes occupationes mihi licebit. Sed vide doctiſſime Paulle, ne id præterea requiratur, quod tu pro tua ſumma modeſtia taces, vis ingenij ſcilicet, quam cum in me agnoſcam pertenuem eſſe, atque Ciceronis elegantiā me aſſequi poſſe diffidam, nec cur optem quidem eſt; eam certe imitari, quoad eius fieri poterit, non deſinam. Reſtat vt te etiam atq; etiam rogem, ne me impudentem cenſeas, qui tibi his nugis obſtrepere audeā, quod & ſi eximia tua benignitas non patitur me de te opinari, mihi tamen ſuadet pudor meus, ne dulciſſima atq; optima natura tua abuti debeam. Vale, meq; in gratia tecum eſſe patere.

E I-

EIDEM ROMAM

IANDVDVM Paulle præſtantiſsime ad has natales ferias peruenire cupiebam, vt & a negociorum fluctibus paululum emergerem, ac reſpirarem, & mihi latine tecum, ſicut in animum induxeram, colloqui liceret, a quo inſtituto occupationes me ſemper auocarunt. Quod Dei benificio me video eſſe aſſecutum. Sed quo nam potiſsimum argumento vti debeam in ſcribendo, difficilis ſanè eſt mihi deliberatio. Nam ſi tua in me ſumma ſtudia, ſi tot amoris erga me tui ſignificationes, ſi denique innumerabilia beneficia commemorare velim, mihi certe prius deeſſent verba, quam exitum inſtitutæ rei expedire poſſem; tibi enim tantum debeo, quantum poſthac vnquam nemini. Si vero de magnitudine obſeruantiæ erga te meæ verba facere cogitarem, ita vagaretur oratio, vt à me reuocari minime poſſet. Quæ cum ita ſint, non conijciam in eos me laqueos, à quibus exolui nequeam, ſed ea attingam quæ tua intereſſe multum, mea autem tibi referre arbitrabor, Scito igitur Euanthum de gemmis, quem flagitabas, in bibliotheca Diui Dominici reperiri à me non potuiſſe, qua quidem in re diligentia non mediocri ſum vſus: Nam nullus extitit in ea liber, cui voluendis cartis puluerem non

abſterſerim, ſuſpicantur patres illi religioſi furto ſibi ablatum. Ioannem quoq; Baptiſtam Pignam conueni, ab eoq; petij, vt tua, ac mea cauſſa aliquam inire velit rationem, quo tuæ ſatisfiat voluntati, quod ille mihi ſe facturum ſpopondit; ſi quid ſperandum erit, certior per me fies. De Faſinardo quid dicam? ad quem cum is, qui domui Illuſtriſſimi Alphonſi Ateſtini præeſt, litteras tuas fidiſſimo nuncio ſe dediſſe affirmauerit, nullas hactenus ab eo accepi? At ſi, quod ſentio, dicere licet, uereor ne pudore à ſcribendo refugiat: nam cum tecum eſſe libentiſſime, atq; à tua iucundiſſima conſuetudine nulla vnquam ratione dimoueri poſſe aperte oſtenderet, ſubito mutata voluntate, quòd ſe tua familiaritate priuarit atq; orbarit, in oppidulumq; abdiderit, non dubitat, quin in meam reprehenſionem incurrerit, & inconſtantiæ crimen ſubierit, præſertim cum meminerit me ſæpe beatum eum appellaſſe, cui tuo ſuauiſſimo conſpectu congreſſuq; abunde frui liceret, atq; dixiſſe, me eius fortunæ inuidere. Ac certe, ſi mea in ciuitate ſatis amplo Sacerdotio præditus non fuiſſem, quid optatius mihi, quidq; honorificentius accidere potuiſſet, quam vt omnes intelligerent me Paullo Manutio integerrimo Viro, omniumq; eloquentiſſimo familiarem eſſe, aſſidumq; conuiuam? non ne cuncti amicitiam meam appeterent, quò eos apud te in gratia ponerem?

Quod cum vſu veniſſe Faſinardo conſtet, is vero abs te longius abeſſe æquo animo tulerit, totumq; ſe abalienarit, ſuorum nemo eſt hic, qui eius conſilium non reprehenderit atque vituperarit. Sed hæc hactenus. Ego quidem, cum tua ſingularis humanitas aditum mihi ad amicitiam tuam patefecerit, ne mihi ipſi deeſſe videar, ita te omnibus colam officijs, ac perpetuo, quodam meo erga te ſtudio, vt maiorem me indies abs te gratiam inire poſſe non dubitem. Vale, & Aldo noſtro multam meo nomine ſalutem dic. iiij. no. Ianuarij. CIƆIƆLXIII.

EIDEM ROMAM.

RARAS ad te iampridem dedi litteras præſtantiſſime Paulle, nihil enim potiſſimum habebam, quod ſcriberem, crebriores tamen ad te miſiſſem, niſi eſſem veritus, ne tibi moleſtus eſſem, quem multis, ac grauiſſimis occupationibus diſtrictum eſſe non dubitabam. Nunc vero his te ſalutare volui, ex quibus etiam perſpicies me vereri, ne in ſuſpitionem tibi negligentiæ venerim; Nam in cogitationem tuam forte cadere poteſt mea culpa accidiſſe, quòd a conductore ſolutio differatur, cum tu iamdudum mihi mandaueris, vt eum de illius officio admonerem. Quæ te cauſſa ſi adduceret, vt animum à me tuum abalienares (quod Deus opt.max.auer

tat) non enim ſumma tua humanitas hoc patitur, cito Carpos accurrerem, vt cū vtrumq; noſtrum hac cura liberaſſem, tecum in gratiam redirem. Sed peſtilentiæ ſuſpitio, quæ in hiſce locis tanta eſt, vt nemo niſi fide publica, aut teſtimonio optime munitus, in ciuitatem admittatur vllam; eum forte deterruit, ne ſe in viam daret; aut detinuit valetudo. Non enim dubito quin meæ ad illum litteræ peruenerint, cum certis hominibus eas commiſerim. Quare ſi falſam aliquam de me opinionem imbibiſti, vt eam deponere velis, magnopere te rogo, maxima enim iniuria amicitiam noſtram tot iam officijs ab vtroq; noſtrum cultam afficeres. Quod ad venditionem agrorum attinet, nihil eſt quod ſperes; populi n. ij grandine ſæpe de cælo cadente iaſtati, vix ea, quæ ſuppeditent ad victum & veſtitum, parare poſſunt, ne dum de emptione cogitent. Præterea fundus ille eo in loco ſitus eſt, quo rariſſime mercatores commeant, vt niſi diuina ſors aliquem nobis dederit, qui cum contrahamus, ex ſententia nihil conficere valeamus; Hanc tamē curam nunquam mi Paulle abijciam, immo in eam aſſidue incumbam, vt nullum a me officium hominis amiciſſimi tibiq; deditiſſimi deſideres. Quod reliquum eſt, vehementer abs te peto, vt me ſuauiſſimis litteris tuis recreare non graueris: non enim conquieſcet animus, donec de tuo in me amore nihil

detra-

detractum eſſe cognouero. Vale mi præſtantiſſime Paulle, meq; amare non deſine.

PAVLLVS MANVTIVS
Paullo Sacrato. Ferrariam.

MALE *ſentis de vtroque noſtrum, cum de immutata mea erga te voluntate ſuſpicaris. nam & me leuem, atque inconſtantem, & te fingis diſſimilem tui, ideſt eum, cuius in amore, cognita iam virtute tua, languere quiſquam poſſit. tu de te ipſo vide quid ſtatuas, & quo modo feras iniuriam tuam: ego meam nec diſſimulare nec ferre leuiter poſſum. nam cum ab ineunte ætate ingeniũ, animumq; meum ijs artibus & ſtudijs excoluerim, vnde præclara omnia naſcuntur; ſcilicet egregium induſtriæ meæ fructum ferrẽ, ſi, quod in quibuſdam ſoleo reprehendere, quodq; ipſe ſciens nunquam feci, in amicitia peccarem, præſertim tua, quæ non vt multæ, caſu & fortuito contracta, ſed expetita à me ſemper, & pluris æſtimata, quàm quæ vulgo maxima putantur. Obſecro te, iſtam ne patere ſuſpitionem in animo tuo reſidere: cogita quod res eſt, te mihi eſſe in oculis, delectari me vehementer memoria officiorum tuorum, & angi nonnunquam, quòd habere magis gratiam, quàm referre poſſim. In penſione exacta, & pecunia permutata agnoui diligentiam tuam, vel amorem*

potius, quo tu adductus, mea negotia vel minima ita curas, quaſi maxima ſint, maioremq; commodi mei, quam dignitatis, & perſonæ tuæ rationem habes. De locatione vero renouanda, totum ad te refero. mihi, quidquid egeris, non modo ratum, ſed etiã gratum erit; venditionem quidem temporibus excludi, & priuatorum fortunas tempeſtatibus aduerſis exhauriri, non mea magis, quam veſtra cauſſa doleo. quamquam dolorem noſtrũ leuare debet illa ratio, quod nihil malum ſine culpa, item vt cum culpa nihil bonum. Ego me hoc in aduerſis didici ſuſtentare ſolatio. quod ignorari a Chriſtianis, quibus hæc ſententia præſtantiſſimum in cælo fructum promittit, cum iis etiam philoſophis, qui veræ felicitatis vix vmbram viderunt, notiſſimum fuerit, turpe ſimul, & exitioſum eſt. Vale. Filius te ſalutat, & in primis obſeruat. Romæ, XVI. Kal. Decemb. CIↃ IↃ L XIV.

ALDO MANVTIO P. F. S. P. D. Romam.

MIROR Alde *ſuauiſſime, cur nullas ad me litteras adhuc dederis, vt hinc decedens te facturum mihi pollicitus fueras, ex quibus de tuo iſtuc aduentu certior fierem, præſertim cum præteferres, dum dulciſſimos hic ſermones vnà haberemus, me à te tan-*

topere amari. Neque ſuſpicari ſanè queo, quid te potiſsimum ab hoc officio reuocarit, non enim credibile eſt omnia tibi excidiſſe, ſtatim vt in complexum humaniſsimi patris veniſti; Nec verò eum te eſſe arbitror, qui à maioribus tuis, ac præſertim à digniſsimo patre degenerare velis, qui amicitias tam ſancte colit, quàm qui maxime. Itaque in hanc cogitationem veni, vt id cauſſæ cenſeam eſſe, quòd à ſtudÿs tuis animum auertere nolis, in quibus te ita aſsidue verſari nō dubito, vt ipſe tecum pater ſæpe contendere debeat, quòd recreandi animi cauſſa, ne horam quidem intermittas. Sed Alde mi vide quid agas; atq; conſilia mea in memoriā reuoca, effecit enim magnitudo amoris erga te mei, vt te Ferrariæ de ÿs admonerem, quæ & ad colenda ſtudia tua, & ad tuendam etiam in vrbe valetudinem maxime pertinerent. Quòd ſi nobis parere nolueris (neque enim me latet præſtantiſsimum patrem tuum mecum ſentire) non vereor modo, ne diutius librorum tuorum conſuetudinem ferre poſsis, ſed ne in aliquam etiam (quod omen Deus auertat) corporis infirmitatem incidas. Ego quidem non deſinam te litteris interdum laceſsere, ac etiam hortari, vt ita ſuaue litterarum otio, vti ſalutis etiam rationem ducas, quod ſi feceris, magno nos, qui te amamus ſaluumq; atque incolumē imprimis cupimus, gaudio affeceris. Vale.

F. OCTAVIO PANTAGATHO. s. p. d. Romam.

SCRIPSIT ad me Lælius Gauardus optimæ ſpei adoleſcens, morumq; elegantia præditus, cum is te meo nomine ſaluere iuſſiſſet, tuq; ei viciſſim mandaſſes, vt me tuis verbis ſalutaret, te non dubitare, quin me in amore vincas. O' Pantagathe optime ita ne me noſti, vt de meo in te animo tam facile iudices? Nam ſi cauſſas commemorare licet, quæ vtrumque noſtrum ad amorem inter nos mutuum prouocare queant, Ego cō plures habeo obſeruantiæ erga te meæ: Primum enim virum ſingulari prudentia, iudicio præditum admirabili; & omnibus in diſciplinis, & artibus maxima ſua cum laude ita verſatum, vt eius virtuti cedant alij, mirifice colo, & obſeruo; Deinde eum, qui, cum Ioannem Baptiſtam Sacratum patrem meum ſemper valde dilexerit, poſt eius obitū amorem in filios omnem transfuderit, omniaq; ſtudia atq; officia ad acceſſionem fortunæ, ac dignitatis illorum contulerit: cuius tuæ erga nos beneuolentiæ teſtis iſtic adeſt Iacobus frater meus (vt de me taceam), quem quotieſcunq; videre tibi contigit, ſumma es humanitate complexus) qui cum poſt reditum ſuum è Cypro annum commoratus nobiſcum fuiſſet, nullum ferè diem prætermiſit,

miſit, quin quantis abs te beneficijs affectus eſſet, commemoraret, ſeq; tibi plurimum eo nomine debere prædicaret. Teſtis etiam Philippus frater ampliſsimi Ioannis Moroni viri grauiſsimi, & integerrimi à manu ſeruus, qui cum ad te ſalutatum accedit, benigne ſe excipi gloriatur. Te verò quid potiſſimum mouet, quòd me diligere debeas, niſi quòd me celeberrimi nominis tui ſcultorem, tuarumq; præſtantiſsimarum virtutum amore captum eſſe perſpicis? quod & ſi tu pro tua benignitate ſatis eſſe vis ad conciliandam mihi beneuolentiam tuam, non tamen iudicio ita careo, vt non agnoſcam me virtuti tuæ excellenti totum hoc debere, quod me tibi familiaritate coniunctum eſſe patiare. Quæ cum ita ſint, fateare neceſſe eſt te à me ſuperari; Quanquam qui aliter me facere decet, niſi ego tibi ingratus videri velim? Sed non committam vnquam, vt eo me crimine quod ſemper horrui, condemnare poſsis, ne litterarum ſtudia, in quibus ab ineunte ætate verſatus quidem ſum, parum vero profeci, nullo mihi adiumento fuiſſe videantur: Quin dabo operam, vt eum me præſtem, quẽ tua mihi iucundiſsima amicitia perpetuo dignum eſſe iudices. Interea me tua gratia fouere, ac tueri perge. magnum enim te apud me beneficium poſuiſſe putabo. Vale mi optime, ac doctiſsime Pantagathe.

FRANCISCO MARTELLIO
I. C. S. P. D.

CVM *antea fama nominis tui ductus iam te plurimum amabam, Martelli optime, tùm te ſimul ac de facie noui, atque prudentiam in iure dicendo tuam, grauitatemq́; ac mores ſuauiſsimos guſtare cœpi, meam nunc profecto ſumma tua virtus opinionem uicit. Quid enim actionibus tuis fieri poterat amabilius, quid ſuauius, quæ integritatem, venuſtatem, affabilitatemq́; ita redolebant, vt cunctis, nedum mihi, admirationem maximam mouerent? Itaque tui ſtudio continuo incenſus fui, quod cum longe proſpiceres, nō ſolum pro tua ſingulari humanitate dignum me tua beneuolentia ſtatuiſti, ſed in amicitiam tuam me recepiſti. Secuta ſunt deinde tempora, quibus pro perſona quam ſuſtinebas, iter per diœceſim facere tibi contigit. Ac tu quibus me ſtudijs non ornaſti, cum ſocium me laborum tuorum, comitemq́; profectionis aduocaſti? Quid deniq; prætermiſiſti, quin teſtificarere amorem erga me tuū? (mitto nunc inumerabilia tua in me officia commemorare, longius enim mea proueheretur oratio.) Quare cum tanta iam mihi tecum familiaritas intercederet, vt ego nullum ferè diem intermitterem, quin tuo iu-*

cundiſſimo conſpectu congreſſuq; cumulate fruerer: Tu præteferres mea te conſuetudine ita delectari, vt me ſæpe conuiuam tibi abduceres; Ecce repente Vicarij munus exercere deſiiſti, teq; ad Illuſtriſſimi Cardinalis Ateſtini familiaritatem contuliſti, vt ei a ſecretis, & conſilio eſſes; Mihi vero ne tempus quidem, nedum facultatem dediſti de aduerſa fortuna mea tecum expoſtulandi. Quod licet æquo animo non ferrem, non ideo tamen officium deſerebam, quin te crebro ſalutatum venirem. Sed grauiſſimæ tuæ occupationes non mediocri me fructu ſuauiſſimæ conſuetudinis tuæ ſæpe priuarunt; qua cum ego nunc quoque caream, teq; ad villam profectum dies circiter octo & amplius abfuturum eſſe audiam, exardeſcat autem quotidie mirabilis obſeruantiæ erga te meæ magnitudo, exiſtimaui, ſi tecum per litteras colloquerer, fore, vt moleſtia, qua ex tua abſentia non mediocri afficior, paululum leuarer. Itaque differre nolui, quin has ad te darē, quas ſi intellexero gratas tibi extitiſſe, me operam bene poſuiſſe lætabor. Quod ſi tuæ occupationes tuliſſent, libentius iſtuc accurriſſem, vt maximo gaudio cumularer: Sed cogitationem hanc abieci, veritus ne tibi impudens viderer, quòd nullam negotiorum tuorum rationem ducerem: Et ſtatui, cum neminem præter optimum Foſchinum reliquum habeam, qui cum de meis rebus communicare

communicare

municare libere poſſim , ſermones de te ita ſuaues habere , ac tuas laudes meritaq; erga me tua ita prædicare , vt quoad fieri poſſit, deſiderium tui leniam. Vale Marcum Antonium , ac Nicolaum meo nomine ſaluere plurimum iube. Ferraria.

M. ANTONIO MVRETO I. C.
Doctiſſimo viro. s. p. d.

O fortunatum atque felicem diem illum, quo te videre Murete optime atque doctiſſime, ac de facie noſſe mihi contigit, qua de re quantum Paullo Manutio debeam eximio Viro, mihi ipſe ſum conſcius. Quid enim te venuſtius , quid ſuauius a me deſiderari potuit? Sed neſcio quid primum in te admirer , doctrinam ne an humanitatem: Nam cum hæ duæ res in te plurimum eniteant, altera quidem longe viciſti eam quam fama nominis tui adductus opinionem de te conceperam, altera vero aditum mihi ad amicitiam tuam ita aperuiſti, vt magna mihi iam tecum eſſet familiaritas. Sed mittam de doctrina dicere, quæ cum plurimorum ac præclariſſimorum virorum voce celebretur, meum vero iudicium ſuperet, non magnopere laudes meas deſiderat. De humanitate autem tua vt verba faciam, coegit me gratiſſima mihi tui ſummi erga me ſtudij recordatio. Quid enim prætermiſiſti ijs paucis diebus,

quibus

quibus hic vnà fuimus, quin tuam in me beneuolentiam ſignificares? Nam cum ad te accedebam, vt eos ex te caperem fructus, qui ex iucundiſſima præſtantiſſimi viri conſuetudine percipi ſolent, nonne ita me comiter, ac benigne excipiebas, vt interdum ſtudiorum tuorum oblitus, mecum ſuauiter atque iucunde colloquerere? Quæ Murete optime non ſolum me ad obſeruantiam cultumq́; nominis tui vehementer inflammarunt, ſed etiam in viſceribus ita inhæſerunt, vt nullum, mihi crede, tempus, quamuis te uidere (quod Deus auertat) amplius mihi non liceret, tui memoriam ex animo meo delere vnquam poßit. In quo præclaræ tuæ lucubrationes me quoque adiuuabunt, quas ad me Venetijs perferendas continuo curaui; eas enim ita ſæpe in manibus habebo, vt imaginem tui quotidie intuear. Hiſce litteris omnia tibi ſignificare volui, vt memineris te hic Paullum Sacratum habere tuæ excellenti virtuti ita addictum, vt nulla res tanta ſit, quam tua cauſſa non ſit facturus. Tu quoque vt me amare pergas, tibiq́; ea de me polliceri, que a ſtudioſißimo tui expectari debent, magnopere à te peto: facies enim nihil ab eximia tua humanitate alienum, meq́; maximo beneficio afficies. Vale. V. id. Septēbr. CIↃ IↃ LXI. Ferraria.

EIDEM.

LITTERAS *ad te proxime dedi Murete præſtantiſſime, ex quibus perſpicere potuiſti, quanti te facerem, quamq; præclariſſimarum tuarum virtutum amore vehementer incenſus eſſem, quas quidem ad te perlatas fuiſſe puto, ſed te grauiſſimis occupationibus impeditum reſcribere minime potuiſſe; non enim adduci poſſum vt te noluiſſe credam; nec in te virum integritate, ſuauiſſimiſq; moribus præditum, in excolendis præterea amicitijs valde conſtantem huiuſmodi cadere poteſt ſuſpitio.* Me *autem ad ſcribendum impulit cùm non mediocre iucundiſſimæ conſuetudinis tuæ deſiderium, qua non ſine animi moleſtia careo; tùm nonnulla etiam dubitatio, ne forte ex animo tuo effluam.* Nam *cum te iſtic tot negotijs diſtrictum eſſe intelligam, vt ſcribendi facultas tibi non detur, quòd ampliſſimus Cardinalis noſter in hac turbulenta ob hæreſes tempeſtate, opera tua vti maxime velit, cum tu vnus inter omnes & copia dicendi & admirabili doctrina excellas, exiſtimaui mihi curandum eſſe, vt meæ tibi litteræ reddantur, quæ ſi tuas allicere non poſſint, te tamen certiorem faciant, nunquam ex animo meo tuæ ſummæ virtutis memoriam diſcedere, tibiq; ſuadeant, ne te mei obliuionem ca-*

pere patiaris. Quas tibi fore gratas ex hoc coniÿciam, ſi ex occupationibus tuis tantum temporis ſumes ad ſcribendum, vt me de hoc vno admoneas, me abs te magnopere diligi. Quod ego ſi a te impetraro, ſicut dulciſsima natura tua, & illa amoris erga me tui ſignificatio, quam preſens non mediocrem mihi dediſti, ſpem afferunt, me in cœlo eſſe putabo. Sin aliter ceciderit atque opinor, de hac tamen ſententia nihil me dimouere vnquam poterit, quin te perpetuo obſeruem colamq́; , atq; in diuinis ſcriptis tuis, quæ mihi ante oculos aſsidue verſantur, imaginem tuam videam. Vale mi optime Murete, quem nobis Deus opt. max. Incolumen diu ſeruet. III. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXI. Ferraria.

EIDEM ROMAM.

COGNOVI *ex litteris præclariſsimi viri Paulli Manutÿ, mihiq́; amiciſsimi, te incolumem iſtuc veniſſe, ex quo nuncio cùm tua cauſa incredibilẽ cæpi lætitiam, is enim es, cuius potiſsimum ſalus ob admirabilia, quæ quotidie in vulgus prodeunt ingenÿ tui monumenta, megnum huic ſeculo noſtro decus afferat, tùm etiam mea. Nam cum ego cogito, me iſtic præſtantiſsimum Muretum habere, cuius mira humanitate effectum ſit, vt ei ſim tam familiaris, quàm optare mihi*

vix licuiſſet, cuiusq; ſtudia in me ſingularia extent, ita, mihi crede, hac cogitatione oblector, vt in ea omnes curas moleſtiasq; deponam: Hoc vero, vt plerique intelligant magna me tecum amicitia coniunctum eſſe, diligenter certe curabo. Quid enim hoc officio vſu venire mihi poterit iucundius atque glorioſius? At cum Dei opt. max. benignitate à tali viro gratiam inierim, cuius amicitiam multi ſummi viri appetunt; Eſt quod eundem orare, atque obſecrare non deſiſtam, vt licet in te ſatis conſtantiæ in colenda amicitia hactenus eſſe perſpexerim, in officio tamen ipſe, atque hac optima ſententia te perpetuò retinere velit, quò ad felicitatem, quam mihi videor ex hac coniunctione noſtra eſſe adeptus, quotidie magis accedat. Ego quidem mea ſtabili erga te voluntate operam nauabo, vt tuum erga me amorem in dies magis prouocem, & omnem meam cogitationem induſtriamq; in eo figam atque locabo, vt me dignum præſtem, quem tuo ſtudio, ac patrocinio ſemper foueas. Vale, atque Alphonſum Ianinellum meo nomine ſaluere iube.

M. ANTONIVS MVRETVS S. D. Paullo Sacrato ſuo.

NEQVE te vno ambalius quicquam, aut officij plenius, neq; litteris tuis feſtiuius, omniq;

omniq; ſuauitate conditius fieri poteſt. Quæ ſi quàm lepide, ac polite loquuntur, tam etiã vera de me prædicarent, magna cauſſa eſſet, cur & ego mihi gauderem, & tu tibi de amicitia noſtra gratulareris. Nunc ea res me male habet, quòd cum in meum (vt dicitur) ſinum inſpicio, meq; ac mea omnia diligenter excutio, nihil propemodũ tale reperio, qualia mihi tu innumerabilia aſſingis, vt mihi tale quiddam vſu ueniat, quale hiſtrionibus, qui dum in ſcæna Agamemnonem agunt, aut Atreum, concipiunt ſpiritus quoſdam regios; poſt vbi abſoluta fabula, ad veſtitum ſuum, & ad ſe ipſos redeunt, agnoſcant neceſſe eſt ficta fuiſſe illa omnia, & alienæ oblectationis cauſſa ad breue tempus ſuſcepta: ſe vero homines, tenues & nõ admodum magni pretij artifices eſſe. Sic ego quandiu tuas litteras lego, & à te tanquam à Chorago aliquo impoſitam mihi perſonam ſuſtineo, placeo mihi, fatebor enim quod verum eſt, & videor eſſe aliquis: poſt vbi ille quaſi ventus reſedit, agnitum errorem meum tacitus rideo, meq; tanquam ad ſolitum cultum, ita ad vſitatam illam & perpetuam meam de me opinionem refero. Sed hæc aut in aliud tempus reſeruemus, aut quod ſatius eſt, in perpetuum omittamus. Ego te Sacrate pro eo, ac tua ſingularis virtus & doctrina, & voluntas erga me multis teſtata officijs poſtulat, & amo & magnifacio,

neque

neque id facere deſinam, donec tu is qui es, eſſe deſieris, quod exploratum habeo nunquã fore. Ardeo autem mirifica quadam cupiditate, ſi qua id ratione a me perfici poteſt, vt etiam poſteris huius coniunctionis noſtræ memoria prodatur, amicosq; vixiſſe nos, non æquales modo noſtri, ſed futura etiam ſecula intelligant. Eius rei gratia conſtitueram repertas à me in Gallia, neque vſque in hunc diem à quoquam diuulgatas Victorini veteris non Rhetoris modo, ſed Philoſophi quoque ac Theologi lucubrationes in publicum emittere: cumq; in eis emendandis non paruum laborem ſuſtuliſſem, ad te potiſsimum mittere, & tibi quaſi dicare quicquid in eis mea induſtria effectum eſſet, iamq; id feciſſem, niſi me quiddam, quod aliquando intelliges, retardaſſet. Tu interea mi Sacrate perges amare me, vt facis, tibiq; certo perſuadeas te à me, merito tuo, mirabiliter amari. Salutabo tuo nomine Ianinellum, cum primum eum videro. Vale. V. id. Sext. CIↃ IↃ LXIII. Romæ.

M. ANTONIO MVRETO I. C. Romam.

Si de tui animi conſtantia in tuenda amicitia Murete optime non nihil dubitarem, de immutata quoque tua erga me voluntate valde ſuſpicarer, præſertim ſi mei diuturni ſilen-

tij cauſſa tibi haud nota eſſet; Verum integerrimo viro ac iuriſconſulto optimo Franciſco Martellio per litteras mandaui, vt meis tibi verbis hæc referre vellet, multis me negotijs impeditum, nec non aduerſa Margaritæ Sadoletæ Sacratæ matris meæ valetudine valde affectum, non tui obliuione litteras ad te dare intermiſiſſe, niſi temeritatis abs te condemnari velim, quod cum ego tuam amicitiam magnopere expetiuerim, ac me tuæ benignitati totum aſcribere fuerim profeſſus, nulli autem merito meo, quòd me in amicitiam facile, ac libenter recepiſſes, me mea culpa talis, ac tanti viri familiaritate carere nunc paterer, eiusq; gratiam effunderem; Cumq; is ad me reſcripſiſſet, ſe ſemel officio amici functum, omnia tibi expoſuiſſe, ſuis, mihi crede, litteris ita me recreauit, vt ex animo tuo ne effluerem amplius, ferè ſine timore eſſe cœperim. Ac perſuadeas tibi velim, poſtquam de matris ſalute ſperare, de qua aliquando deſperaui, eaq; in ſpe omnes penè curas moleſtiasq; deponere cœpi, nihil mihi fuiſſe antiquius, quàm vt grauiſſimis, atq; elegantiſſimis litteris tuis reſponderem, quas eo in loco collocaram, vt illæ in conſpectu mihi ſemper eſſent, quotidieq; de meo me officio admonerent: Nam nullum me diem ferè prætermiſiſſe, quin eas legerem, ſi tibi affirmem, vix fortaſſe credas: Et tamen (vere dicam) in aſſidua litterarum tuarum

lectio-

lectione ita conquieſcebam, vt dolorem me-um valde lenirem. Quid enim ſuauius, quid ijs dulcius in meis maximis moleſtijs accidere mihi poterat? Quas ſcito à mè ſumma diligentia ſeruatum iri, quò perpetuum tui erga me amoris monumentum extet, poſteriq; intelligant me cum præclariſſimo viro M. Antonio Mureto, a quo & diligi ſumma eſſet felicitas, maxima fuiſſe neceßitudine coniunctum. Tu quoque ſi perfeceris, vt promiſſum illud tuum appareat, de quo in litteris tuis ad me ſcribis (nihil enim non conſideratum ex ore tuo exire exiſtimandum eſt) eum quem tuæ excellenti virtuti penitus deditum eſſe noſti, perpetuò tibi deuinxeris. Quod reliquum eſt, ex litteris Lælij Gauardi optimæ ſpei adoleſcentis, qui cum Paullo Manutio noſtro viro præſtantiſſimo aliquot menſes fuit, cognoui te Ariſtotelis Ethica publice legere maxima atque celeberrima auditorum frequentia, tuamq; omnes dicendi vim, & orationis elegantiam demirari. Quod & ſi mihi minime nouum accidit, quippe qui tuos neruos iam mihi viderar perſpexiſſe, miro tamen modo gratum extitit: Itaque animum tuum vehementer probaui, cum cæteros ſuauitatis ingenij tui atque doctrinæ ſtatuiſti participes facere: Cœpiq; meæ fortunæ ſubiraſci, qui non iſtic adſim, vbi tua grauiſſima atque ornatiſſima verba excipere, reconditosq; tuos ſenſus tenere poßim. Ita enim

ſum

ſumillo nuncio commotus, itàque tui deſiderio exarſi, vt ſi vnquam me domeſticis curis planè exoluero, ad te ſtatim aduolaturus ſim. Interea me amabis, ac ſi quid adhuc in te de mea ſumma erga te obſeruantia falſæ opinionis reſidet, id totum mea cauſa depones. Vale Murete præſtantiſſime, quē Deus Opt. Max. pro ſua benignitate tueatur. Pridie Kal. Ianuarij. CIↃIↃLXIII.

M. ANTONIVS MVRETVS S. D. Paullo Sacrato ſuo.

E' tuo tam diuturno ſilentio ſuſpicatus erā te Ferraria abeſſe, ideoq; ipſe quoq; intermiſeram ſcribere, donec mihi Martellius primum, Deinde Lælius Gauardus eleganti, vt viſum eſt, ingenio adoleſcens, ſalutem tuis verbis nunciarunt: Quæ fuit illa quidem mihi pro eo ac debuit, gratiſſima: Sed è ſermone Martellij eam cepi moleſtiam non ſanè mediocrem, quòd ex eo de moleſtijs, quibus tu interea conflictatus es, & de matris tuæ lectiſsimæ, & te tali filio digniſ.mæ mulieris infirmitate cognoui. Itaq; cogitabam primo quoq; tempore ad te exarare aliquid litterarum, quò et purgarem me qui tandiu nihil ſcripſiſſem, & minuerem quantum id quidē in me eſſet, ægritudinem tuam. Sed dum diem ex die duco, homo cùm cæteris in rebus non admodum induſtrius, tùm ad ſcribendū

piger-

pigerrimus (non modo enim noſſe ſua uitia bellum eſt, verum etiam fateri) tu, quo nemo uſquam in omni genere humanior aut officioſior eſt, occupaſti, miſsis & reliquarum tuarum ſimillimis litteris. Ad quas ego quia diſtractus alijs curis tàm copioſe quàm vellē, reſpondere non poſſum, ſtrictim ſaltem ſingula eorum capita attingam. Primum igitur a te, quantum me amas, tantum peto atque contendo, ut omnia potius, quæ negantur fieri poſſe, euentura exiſtimes, quàm ut quicquam de meo in te amore, aut (ut uerius dicam) de mea tuis uirtutibus & iucũdiſsimis in me officijs debita obſeruantia detrahatur. Gratulor tibi de recuperata matris valetudine, cui etiam ipſi à me ſalutem dicas, eiq; meo nomine gratuleris uelim; puto eam quanquam ſemel tantum à me uiſam, facile tamen redituram in memoriam mei. Quod ad te ſcripſit Lælius, magnam quotidie non adoleſcentum modo ſed omnium ætatum atq. ordinum multitudinem ad me audiendum uenitare, ſanè uerisſimum eſt, idq;, ut uerum fatear, ipſi mihi permirum uideri ſolet. Nam & Romæ rarum id eſt, & ego in me nihil ſentio, quo tanta hominum ſtudia excitentur. Sed quando ſunt, qui aliter ſentiant, intendo equidem omnes ingenij neruos ad conſeruandam eam, quæ de me excitata eſt, opinionem: Sed duratura ea nec ne ſit θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. De

libro

*libro Victorini, quem me tibi, ut nunc loquimur, dicaturum pollicitus ſum, noli dubitare, nunquam omnino amittam cum è manibus, niſi addito luculento aliquo teſtimonio amicitiæ noſtræ. Interea mitto ad te exemplum oratiunculæ, quam hic habui pridie eius diei, quo cœpi Ariſtotelis Ethica interpretari. Vereor omnino vt ſatis emendate deſcriptum ſit; Nam quod vnum mea manu ſcriptum habebam, id Callipides ille, de quo etiam prioribus literis aliquid ſcripſi, duos iam menſes apud ſe habuit, neque adhuc extorquere poſſum. Sed tanto mea melior futura conditio eſt: tu enim, ſi qua a me ipſo peccata erunt, ea illi qui deſcripſit, adſcribes. Mi Sacrate optime & amiciſsime etiam atque etiam vale. Romæ xviij. Kal. Februarij .*CIↃ IↃLXIIII.

M. ANTONIO MVRETO I. C. S. D

EGO *Murete optime æſtiuos hoſce menſes litteras ad te dare intermiſi, quòd ab æſtu valde iactarer, nec commode libros euoluere poſſem, tum etiam domeſticis curis, quæ eo tempore maxime a ſtudijs animum auocant, vehementer eſſem diſtentus; non enim exiſtimare debes, me amicitiæ tuæ, quam vt mihi conciliarem, diuino quodam munere contigiſſe ſemper putaui, fuiſſe oblitum, nec humanitatis tuæ eximiæ, quam in excipien-*

do me comiter & peramanter crebro ſum expertus. Itaque cum vererer ne mihi ipſi deeſſem, Lælio Gauardo, quem ego iuuenem propter eius ſuauiſsimos mores mirifice diligo; mandata dedi, vt quotieſcunque ad te proficiſceretur, meo te nomine ſalutaret meq; tibi de mea taciturnitate excuſaret. Quæ ſe confeciſſe, ac ſingularia mea in te ſtudia gratiſsima tibi extitiſſe mihi ſignificauit. Quo ipſius facto tunc ita recreabar, vt in cogitatione officij mei redderer etiã negligentior. Venit tandem tempus quo tempore ad mea me ſtudia referre licuit: cum primũ igitur ad ſcribendũ me contuli, quòd iam noctes me adiuuarent, primam lucubrationem meam ad te miſi, quòd ego te vnum pluris faciam, quàm cæteros ſimul omnes, & admirer. Cuius meæ erga te voluntatis coniecturam ex eo facere potes, quòd cum tua in me ſtudia in memoriam reuoco, teq; honoris gratia nominare volo, nomino autem ferè quotidie, ita afficior, vt loco ſummæ felicitatis eſſe ducam, quòd me tibi intimum eſſe volueris. Tu quoque, ſi quid in animo tuo opinionis de mea in ſcribendo negligentia forte inſedit, vt protinus eijcias mea cauſſa, nec priſtinam tuam humanitatem mihi claudas, te etiam atque etiam rogo: Quod te facturum cùm ſuauiſsima natura tua, tùm maxima cõ[illegible] mihi pollicetur. Ego quoad viuam, incredibilem tibi amorem atq; obſeruantiam,

nec non omnia officia, quæ a deditiſſimo tibi expectari poſſunt, ſemper debebo. Vale doctiſſime Murete. *Prid. id. Octob.* CIↃ IↃ LXIIII.

M. ANTONIVS MVRETVS Paullo Sacrato ſuo.

PVTO *mirum tibi videri, quòd tandiu nihil ad te ſcripſerim, præſertim prouocatus a te amantiſſime & officioſiſſime ſcriptis litteris, quas ad me iampridem dediſti, ſpero tamen te facile ignoſcere occupationibus meis, neque propterea dubitare de amore, atque obſeruantia erga te mea, quæ, mihi crede, tanta eſt, vt accedere nihil poſſit. Cuius rei cùm alios tibi multos teſtes, ſi opus ſit, laudare poſſum, tùm vel in primis* Lælium *noſtrum adoleſcentem optimum, & ſuauiſſimũ, qui quoties me videt, uidet autẽ fere quotidie, & multa mihi auditu iucundiſſima de tua ſingulari virtute, atq; humanitate commemorat, & audit me viciſſim ea de te quæ debeo, & quæ ſentio prædicantem. Sed mitto hæc:* Neque *enim dubitare potes, quin à me mirifice ac ſingulariter ameris, niſi me ingratum atque inhumanum putas: tam male autem te de me ſentire nõ arbitror.* Interpretatus *ſum latinè his diebus quintum* Ethicorum *Ariſtotelis.* Eius *interpretationis mitte ad te exemplaria tria, vnum quod tibi*

 habe-

moleſtis occupationibus impeditum fuiſſe, vt meo officio ſatisfacere non potuerim, in mentem tibi non venit cogitare? Μῶμος te pridem iniuria accuſauit, quòd me antenon reuiſeris, quàm hinc abires; noui enim peregrinantium morem, neque me latet ſæpe multa illis euenire, quæ ab officio animũ ad alia traducant, quippe qui plurimos ego annos vagatus ſim: ſed ſi nunc te reprehenderet, quòd me falsò inſimulaſſes, iure quidem id faceret: Nam quid à me alienius excogitari poteſt, quam vt Faſinardi memoriam obliuione deleuerim, qui in viſceribus ita inhæret, vt die noctuq; eum intuear? Quod cum tu optime perſpicias, & te errare ſentias, confugis ad hoc, vt te contemni putes. At quis hoc ferret præter me? Ego ne eruditiſſimum Faſinardum aſperner, cuius amicitiam tantò facio, vt tum denique mihi aliquid eſſe videar, cum ab eo me amari ſentio? certe ſi te æquum mihi præberes, ne tale de me iudicium haud faceres, ſed dubitares, ſi vitæ meæ ratio atque inſtitutum non poſtularet, vt ad ignoſcendum eſſem propenſus, ne iniuriam abs te mihi illatam haud inultam ſinerẽ. Verum cum tu te fateare naturam mihi dediſſe, vt aliquid humanitatis haberem, petaſq; vt ea erga te vti velim, hoc te à me impetrare facile patior, ne iſta de me opinio te prorſus fallat. Caue tamen ne poſthac de me male ſuſpicere, alioquin omnẽ me exuiſſe

humanitatem reipſa experiere. Sed ſatis ac fortaſſe nimium iocati ſumus. Vt nunc ſerio tecum agam mi Ioſephe, ſcito te cariorē propter mores tuos ſuauiſſimos me vnquam habiturum eſſe neminem, meq; omnibus officijs curaturum, ſi quando ſe tibi occaſio obtulerit, vt mea opera vti velis, omnia vt offendas à me paratiſſima, atq; intelliges me à te quoq; diligi, mihi vehementer gratum eſſe. Præterea exploratum habeas velim, omne tempus, quod mihi à negotijs meis plurimis dabitur, in ſalutandis amicis à me ita cōſumptum iri, vt tu quoq; diligentiam in ſcribendo meam nunquam ſis deſideraturus. Vale. viij. id. Ianuarij. CIↃ IↃ LXIV.

EIDEM REGIVM.

MIROR *mi Faſinarde cur abs te tandiu nihil litterarum; Iandudum enim ad tuas reſpondi, nec vereor ne non meæ tibi redditæ fuerint; Procurator enim Illuſtriſſimi Alphonſi Ateſtini ſæpe mihi dixit ſe tabellario fideli illas ad te perferendas dediſſe. Itaq; dubitare cœpi, ne meis litteris omnem tibi ſcribendi* παῤῥησίαν *eripuerim. Non agam tuo more Ioſephe, vt te mei oblitum ſtatim credam. Nam hoc de te ne cogitare quidem, nedum ſuſpicari mihi venit in mentem. Quin in hanc adducor opinionem, vt Nizolium conſulas; memini enim te iampridem*

dem ad me ſcripſiſſe cum eo ſæpe ſolere eſſe; Aut volumen fortaſſe conficias, aut certe aliquid huiuſmodi moliare, quo me ita imparatum aggrediaris, vt me defendere ac tueri nequeam. Quod cum à me præcautum atq; prouiſum ſit, haud opinantem me quidem, credo, non offendes. Te autem aduerſa valetudine impeditum litteras ad me mittere nõ potuiſſe, tantum abeſt, vt ego vaticinari velim, ne apud me quidem recte futurum, ſi tu non valeres, cum præſertim tanta beneuolentia cum Ioſepho coniunctus ſim vt quicquid mali atq; incommodi euenire ipſi poſſit, idem quoq; mihi valde acerbum futurum ſit. Quare cum primum poteris, de tui ſilentij cauſſa ad me ſcribes; ſi tamen eam me ſcire æquum cenſueris: Hac enim moleſtia, quam ex deſiderio litterarum tuarum, ac earundem intermiſſione non mediocrem capio, me certe leuabis, & ſi nuncium mihi iucundum attuleris, magnopere recreabis. Vale mi ſuauiſſime Ioſephe.

VINCENTIO FANTINO collegę ſuo s. p. d. Piſas.

HERI litteras tuas accepi Vincenti humaniſſime, ſuaues illas quidem, ſed quæ ob earum elegantiam admirationem mihi mouerint; eæ enim cùm verbis non vulgaribus, tùm ſententijs grauiſſimis refertæ erant. Ita-

ſcribis omnia decreta Concilij Tridentini à ſummo Pontifice confirmata fuiſſe, gaudeo equidem ſi res optimum ſint exitum habituræ. Sed vereor ne magis optandum ſit, vt in antiquum ſtatum reſtituantur, quam ſperandum. Collegas noſtros omnes tuo nomine ſalutaui, qui eandem ſalutem tibi vt ſuis verbis adſcriberem, mihi mandarunt. Vale Vincenti optime, meq; amare perge. Ferrariæ xvij. Kal. April. CIↃ IↃ LXIIII.

GVIDO PANCIROLO I.C. S.P.D.
Regium.

PVTO *fore vt mirere, cur has ad te litteras dederim, præſertim cum ea inter nos amicitia iuncti non ſimus, quæ hanc litterarum miſſionem deſideret. Sed ſcito me huius officij cauſſas complures habuiſſe. Nam cum ego Ioanni Baptiſtæ Spinellio mandaſſem ſororis filio, mihi admodum grato, vt te meo nomine ſalutaret (te enim Regij eſſe audieram) tibiq; ſignificaret te propter excellentē virtutem tuam mirifice à me diligi, ex quo tempore Patauij mihi cognitus es, atq; obſeruari; Ille poſt reditum ſuum ad me narrauit mihi primum, quàm benigne atq; humaniter eum tractaſſes, nullumq; prætermiſiſſes indicium amoris erga ſe tui; deinde quàm honorificam de me mentionem habuiſſes, ac me laudibus ornaſſes. Quæ duæ res ita me*

delectarunt, vt dum eas mecum perpenderem, ad amorem tui inflammarer. I*taque te certiorem facere volui, vt intelligas me de hac tua propenſa erga me voluntate maximas tibi gratias agere, mihiq; gaudere, quòd a tali tantoq; uiro diligar; quid enim honorificũ magis mihi vſu venire poteſt, quàm a ſummis & tui ſimilibus viris mei memoriã retineri, qui ab exiſtimatione & omni virtutum genere valde me inopem agnoſco? Quare non committam, mihi crede, vt me tua erga me beneuolentia indignum eſſe iudices; Quin etiam omnibus te ſtudijs colam, & arctiori me vinculo amicitiæ tecum cõiungere conabor, vt tibi indicem, quacunque ratione poſſum, quantopere in mente tua inſidere cupiam.* T*u quoque ſi eo in me animo perges eſſe quo cæpiſti, non dubito quin vterque noſtrum hac coniunctione noſtra poſthac ſumma valde lætetur.* V*ale* P*ancirole doctiſſime, ac perſuade tibi Spinellium plurimum tuæ virtuti deditum eſſe, qui etiam multam tibi ſalutem adſcribit.* F*erraria* *vij. id.* N*ouemb.* CIↃ IↃ LXIII.

M. ANTONIO MARTELLIO Romam.

GRATVLOR *tibi Marce Antoni, quòd in ea es vrbe, cuius te mirum ſemper deſiderium tenuit, vereq; gratulor, quòd opta-*

optatis tuis fortuna tandem reſponderit ; At caue ne, aſpectu vrbis iſtius cũ te ita oblectes, omnem hinc amorem penitus abijcias . Quid enim à præclaro ingenio tuo , optimaq; indole, ſuauiſsimisq; præterea moribus tuis eſſet alienius ? Nec eò dico , quò te de officio tuo admonere velim, habes enim iſtic Patruum tuum ſummum ac prudentiſsimum virum , tuius conſilio & ſapientiſsimis præceptis omnia moderari optime poſsis . Sed vereor ne ex animo tuo effluam ; mihi enim iandiu conſtat, multa & præclara iſtic eſſe, quæ mentem & cogitationem tuam à nobis auocare, & ad maiora animo amplectenda traducere poſsint. Hac ego opinione adductus his te litteris excitare volui , ne te forte aliqua mei caperet obliuio : Nam quem ego delegi , vt me quotidie magis in gratia patrui ſui ponat, is ſi rerum vrbanarum illecebris delinitus , noſtras omnino non curaret , male profectò mecum ageretur . Verum ne in cogitationem quidem cadere poteſt , vt tu liberaliter educatus , & bonis artibus ac diſciplinis inſtitutus, eorum memoriam ex animo tuo delere poſsis, à quibus te vehementer amari perſpexeris ; è quorum numero cum ego potiſsimum is ſim, teq; tantopere diligam , vt nemini primas concedam, iure par mihi à te, niſi humanitatis expers ſis, voluntas reddi debet . Quare vt in tuto me collocem , ſæpe te litteris laceſſam, quibus, quin reſpondeas, recuſare certe non po-

teris, tibiq́; iucundas amoris erga te mei recordationes dabo. Nicolao noſtro etiam gratulabere meo nomine, quòd ille iſtius demum vrbis compos factus ſit, cuius viſendæ ſumma ſæpe cupiditate arſit, eumq́; meis verbis ſaluere iubebis. Vale.

NAVAGERIO CARDINALI.

ANTEA *quidem gaudebam te in ampliſsimum Cardinalium collegium cooptatum fuiſſe; Tanta enim erat de tua eximia atque excelſa virtute omnium opinio, vt te ad ipſam dignitatem honeſtandam decus atq; ſplẽdorem adiuncturum nemo dubitaret; ſicuti ex adminiſtrata optime abs te poſtea in concilio Tridentino repub. Chriſtiana perſpici potuit. Vt vero te Veronæ Epiſcopum creatum eſſe audiui, non modo cauſſa tua vehementer ſum lætatus, quòd ſapientiſsimo ſummi Pontificis iudicio ad dignitatem tuam fortunæ acceſsio facta fuerit, verum etiam mea; quodam .n. me vinculo tecum aſtringi poſt hac ſentiebam, quòd ſalus ac fortuna mea in tua manu ac poteſtate ſita & poſita eſſet. Itaq; vt tibi ex animo gratularer, multa me quidẽ hortabantur, primum tua ſpectata & nobilitata virtus, deinde familiaritas, quæ Iacobo Sadoleto cum familia tua maxima interceſſit; Noſti .n. qua Auunculus meus ne-*

ceſsitate

ceßitudine cum Andrea Nauagerio affini tuo coniunctus eſſet. Denique ſingularis humanitas atq; eximia benignitas tua, quæ mihi ſummā [illegible] in te voluntatem ac obſeruātiam tibi gratam fore pollicebantur. Sed meus me pudor detinuit, ne meo, vt par erat, officio ſatisfacerem: Veniebat enim mihi in mentem cùm tua auctoritas atq; amplitudo, tùm mea tenuitas atque animi imbecillitas, quæ me maxime a ſcribendo deterrerent, & omnem mihi παῤῥησίαν eriperent. Intelligebam præterea te a Procuratoribus noſtris, Romæ cum adhuc eſſes, de antiquitate penſionis noſtræ, & quemadmodum ipſa Iacobus Sadoletus, nec non facultate in fratrum ſororum ve filios illam transferendi a Clemente vij. donatus eſſet, cum ab eodem Veronenſis Eccleſia in Io. Mattheum collata tunc fuiſſet, optime ac diligenter fuiſſe edoctum. Quibus rationibus negligentior effectus, officia omnia, quæ tuæ præſtantißimæ virtuti atque amplißimæ dignitati à me magnopere debebantur, omnino prætermiſi; Sed cum amici nunc iſtic mei, quibus mandaui, vt a procuratoribus tuis penſionem exigant, animum mihi addiderint, atque adeo ſtimulos admouerint vt ad te ſcribam, fore, vt tu pro tua incredibili benignitate in fidem me alioqui ſorte tibi coniunctum & clientelam tuam facile recipias, ego eorum conſilijs & monitis adductus, & interim de tua amplitudine non

cogi-

cogitans, ſuauitatem vero humanitatis ac manſuetudinis tuæ ante oculos mihi proponens, his te litteris ſalutandū duxi, ex quibus cognoſcas me miro deſiderio affici, vt me tecum gratiā inire patiare, cū & inferiores & humiliores beneuolentia amoreq; fouere humanitatis ſit maxime proprium. Quam ſi nulla res alia, at certe ſtudiorum ſimilitudo valde, vt ſpero, mihi conciliatura eſt; In ijs enim optimarum artium ſtudijs verſor, in quibus tu iandiu ita excellis, vt illa tibi non minima ex parte aditum ad iſtam dignitatē patefeciſſe videantur: Ad quæ iuuanda ſi fueris, vt tua dignitas poſtulat, propenſus atque paratus, tuiſq; mandaueris, vt procuratores meos expediant, in quo tranquillitas animi mei ac ſtudiorum meorum neruus continetur, non ſolum qui te obſeruet & colat, tuaſq; præſtantiſſimas virtutes admiretur magis quàm ego, es habiturus neminem, ſed magno me quoque beneficio deuincies. Cuius memoriam perpetuo ită retinebo, vt huius facti tui, quòd in hominem gratiſſimum omnia tua ſtudia cō tuleris, nullo vnquam tempore te pœniteat. Vale mi ampliſſime patrone, quem nobis Deus opt. max diu ſeruet incolumem. Ferrariæ v. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXIIII.

IOANNI MORONO Cardinali s. d.

QVOD *diu optaram* Patrone *ampliſsime, vt te de facie noſſe, ac diuinum conſpectum tuum contemplari ſaltem mihi liceret, hoc tandem ſumma* Dei *benignitate ſum conſecutus.* Nam *cum videndi amplitudinem tuam incredibili arderem deſiderio, cuius antea celeberrimum nomen colerem, ſtatim vt oculos in te conieci, ita me refrigerauit ac recreauit grauis admodum ac plenus dignitatis aſpectus tuus, vt in vita mea nunquam tanta fuerim voluptate affectus, quantam nuper ex tui præſentis contemplatione cepi. Quòd ſi poſtridie quàm te vix ſumma veneratione ſalutaui, hoc impetraſſem, vt ſingularem tuam prudentiam, grauitatem, ac ſuauiſsimos doctiſsimosq; ſermones tuos guſtare mihi fas fuiſſet, me in cœlo fuiſſe duxiſſem. Sed cũ tot nobiles viri ad te confluerent, frequentiaq; hominum aditus mihi ad te intercluderetur, & ego pudore quodam meo deterritus propè accedere non auderem, quòd ſimul vererer ne optimates aliqui me exturbarent, eo fructu, quem ſanè maximum ex tuis ſapientiſsimis conſilijs me capturum fuiſſe ſperabam profectò inuitus, ac non ſine ſummo dolore a*
rui. Itaque *quod præſens tecum agere on*
potui, vt tibi, qui meus eſſet in te animus a
per-

aperte dicerem atque demonſtrarem, his literis quas amplitudini tuæ reddidit Philippus frater meus, mihi ipſi ſatisfacere volui. Ex ijs enim liquidò perſpicies, cum omnes ferè te in ampliſsimo dignitatis gradu locatum venerentur atq; ſuſpiciant, tamen qui te pluris faciat, colat, tibiq; magis addictus ſit quàm ego, haud vnquam fore quenquam. Cuius meæ ſummæ in te obſeruantiæ multas, & graues habeo cauſſas; Cum enim magna tibi cum Auunculo meo olim Iacobo Sadoleto coniunctio, ac familiaritas intercederet, & pro tua conſtantia animiq; firmitate mortuo præſtare hoc officium tibi videretur, vt omnem amorem in eius propinquos transfunderes, (mittam nunc Paullum Sadoletum Carpentoracti Epiſcopum) non ne Philippum fratrem meum in fidem atque clientelam tuam primum recepiſti, & in eorum numero eſſe voluiſti apud te, qui tibi intimi ſunt? Deinde Iacobum Iuris Conſultum fratrem aliū non ne tuo ſtudio ſemper ornaſti, atque in eo ipſo quo verſatur iure, ita ei conſuluiſti, ac proſpexiſti, vt ſe quam honeſtiſſime exercere poſſet? Denique tu hac iter faciens cum me nunquam vidiſſes, ſimul ac audiſti Philippi fratrem eſſe, non ne benigne admodum me excepiſti, ac licet, vt initio dixi, nullum ferè ſermonem in temporis anguſtia tecum contulerim, quòd multos quotidie accederent, velles tuæ miræ ſuauitatis

&

& humanitatis eſſe participes, an mihi non obſcura tui in me amoris ſigna nō dediſti? Quare, mihi crede, quanuis vitam pro te profunderemus, tamen vt partem aliquam tuorum in nos meritorum omnino aſſequi poſſemus, vix cogitare, nedum ſperare nobis liceret. Sed nihilominus operam dabimus, vt ingrati animi vitium penitus vitemus, ac tua in nos beneficia commemorare non ceſſabimus, vt re ipſa quidem nos gratos haud fore ob tenuitatem noſtram cum certo ſciamus, animo ſaltem; & incredibili noſtra in te pietate ita reſpondeamus amori tuo, vt tuæ quoque liberalitatis nunquam nos eſſe obliturus facile credas. Quod reliquum eſt, ſupplex te oro atque obſecro, vt quos tibi tuendos ac fouendos tuo iudicio ſuſcepiſti, nos diligere atque amare pergas. Nam, vt pro fratribus etiam ſpondeam, nos ita deditos addictosq; amplitudini tuæ habebis, vt tuæ ſuſceptæ erga nos beneuolentiæ nunquam te pigeat. Vale amplissime patrone, quem vt Deus Op. Max. ſeruare diu ac fortunare pro ſua benignitate velit, orare non intermittimus. Ferrariæ. iij. Kalend. Decemb. CIↃ IↃ LXV.

AVGVSTINO VALERIO
Epiſcopo. Veronæ.

IN meo dolore, quem ex obitu ampliſſimi viri Auunculi tui ſummum ſanè cepi, qui cum

cum & litteris & incredibili erga eum obſeruantia ita egeram, vt me in ſuam fidem & clientelam recipere, ac meis cõmodis conſulere vellet, te, vt audiui, tanti ac nunquã ſatis laudati viri propinquum, Epiſcopum Veronæ creatum fuiſſe, vehementer lætatus ſum; Tua enim eximia optimarum artium diuinarumq; rerum ſcientia mira item humanitas ac morum ſuauitas me adducunt primum, vt minime verear ne non ad honeſtandam iſtam dignitatem maxima tibi ſit facultas, nedum voluntas; Deinde vt tibi ex animo gratuler, quòd laborum, & vigiliarum tuarum vberrimũ fructum feras; Quod quidem certe facio libenter, cùm tua propenſa in me voluntate (vt ex Aloiſii Morandi optimi atque mihi amiciſsimi uiri litteris perſpexi) tùm etiam liberalitate prouocatus. Is enim ad me ſcripſit te non obſcuræ tuæ in me beneuolentiæ ſigna eſſe daturum, & in eo negotio, quod commune cum multis mihi tecum eſt, quem mihi præponas, habiturum eſſe neminem. De quo tibi quibus verbis gratias agam non reperio, tantæ .n. tuæ humanitati atq; benignitati nulla mea par eſſe poteſt oratio, Illud igitur efficiam profectò, vt te a me mirum in modum obſeruari & coli perſpicias, neque committam, vt me gratum ac tuorum in me ſtudiorum memorem eſſe deſideres. Quin etiam, ſi res mea familiaris patietur, vt me in viam dare poſsim,

ad

ad te accurram libenter, vt coràm meum iam tuæ ſummæ virtuti deditiſſimum animum aperiam. Interea te etiam atq; etiam rogo, vt me dignum ſtatuas, quem in numero tuorum reponas habeasq́; ; dabo enim operam, vt tuæ in me beneuolētiæ nunquā te pœniteat, atq; in prædicatione tuarum præſtantiſſimarum virtutum aſſidue verſabor. Vale optime Antiſtes, quem Deus Opt. max. pro ſua ſumma benignitate fortunet ſeruetq́; diu incolumem. vi. id. Septemb. CIↃ IↃLXV.

EIDEM VERONAM.

SCRIPSIT ad me Aloiſius Morandus meus vel potius noſter, meam tibi epiſtolam valde gratam fuiſſe. Quem & ſi credo aliquid atque adeo multum addidiſſe & attuliſſe de ſuo, non tamen verba mihi dediſſe pro noſtra coniunctione exiſtimare debeo. Itaque litteræ eius (vt ingenue fatear) mihi periucundæ fuerunt. Nam cum ego lucubrationem meam lectione tanti viri haud dignam fore ſemper iudicauerim, tu tamen tot ac tantis tuis in me ſtudijs te aliter ſentire ita declaraſti, vt hæc tui erga me amoris non exigua ſignificatio præter opinionem meam acciderit. In quo ſingularem tuam humanitatem non agnoſco ſolum, ſed manſuetudinem admiror, cum meas litteras exiliter ſcriptas tu laudibus & ornare & decorare ſtudes.

Quan

Quanquam ſenſus tuos omnes eam in partem interpretor, vt quos iam tuæ excellenti virtuti deditos eſſe noſti, eos ad amorem & cultum nominis tui quotidie magis accēdere velis; Non enim ingenio ſum ita hebeti, vt non perſpiciam, cum te virum ſumma prudentia & ſincero acriq; iudicio præditum nihil fugiat, in dijudicandis ſcriptis meis te conniuere voluiſſe; Quibus ego rebus adductus has rurſum litteras ad te miſi, nec tibi in grauiſſimis ſtudijs occupato obſtrepere ſum veritus, quæ munuſculum illud tibi ab Aloiſio nomine meo allatum proſequerentur. Quod etſi tuæ ſummæ dignitati haud par eſſe non neſciebā, id tamen meæ in te admodum propenſæ voluntatis ac ſummæ obſeruantiæ volui non mediocre argumentum eſſe ac ſignum. Quare ſi tu promptum animum meum boni conſules, magnopere quidem lætabor; Sin tibi nimis audax viſus fuero, qui perſonæ illius quam ſuſtines, rationem non habuerim, in te primum, qui me benignitate, ac ſuauitate tua inuitas, & allicis, deinde in Aloiſium, qui mihi auctor fuit, culpam omnem transferto. Equidem perſuadeas tibi uelim omnibus me officijs, ac perpetuo quodam meo in te ſtudio curaturum, vt tua me beneuolentia tueri ac fouere non graueris. Vale. Antiſtes optime. Ferrariæ. xv. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXV.

M. ANTONIO MVRETO I.C. s.p.d. Romam.

ETSI non cogitabam nunc ad te ſcribere Præſtantiſſime Murete, quod hoc tempore religionis cauſſa in viſenda, vt debeo, plebe mihi commiſſa, ualde occupatus eſſem, ſed tuas ego litteras potius expectabam; Alexandro tamen Canalio mihi amiciſſimo collegæ iſtuc proficiſcenti, qui non ſolum a me petiuit, ſed flagitauit etiam, vt meis litteris aditum ſibi ad amicitiam tuam aperirem, denegare non potui, quin has ad te darem. Scito igitur me hanc ſcribendi occaſionem libenter arripuiſſe, vt tibi ſignificarē me omnia moliri, vt tecum in gratia perpetuo ſim. Quanquam in hoc Lælij Gauardi officiū certe ac diligentiam valde deſideraui, quo adiutore ſperabam fore, vt ad amorem erga me tuum quotidie potius aliquid accederet, quàm quicquam de eo detraheretur. Sed quid eum ab optimo inſtituto auocauerit, mihi planè conſcius non ſum. Canalio autē mandaui, vt ipſe te meis verbis ſtudioſe ſalutaret, meæq; tuarum præſtantiſſimarum virtutum prædicationis optimus mihi apud te teſtis eſſet. Cuius ſuauiſſimos mores ac ſingularem modeſtiam cum deguſtaueris, non vereor, ne non eum amicitia tua dignum ſtatuas. Præterea cum eundem optimis & litte-

litteris & artibus vehementer delectari com pereris, quem etiam tibi, dum iſtic erit, ſæpe diſcipulum fore ſpondeo, facile, opinor, illum inſinuare ſe in conſuetudinem tuam, tibiq; familiariſſimum eſſe patieris. Quare quod tua ſingularis humanitas benignitasq; poſtu lat, vt tu tua ſponte nedum a me rogatus facias, libenter Alexandrum in fidem & cliente lam tuam recipies, putabisq; quicquid in eum officij ac ſtudij contuleris, illud vtriq; noſtrum ita gratum fore, vt pro eo ambo tibi plurimum debituri ſimus. Vale. Ferrariæ. vi. id. Martij. CIↃ IↃ LXV.

ALEXANDRO CANALIO Collegæ ſuo. s.p.d. Romam.

NVLLAS *antea litteras ad te dedi optime Canali, quòd quotidie te ipſum expectabam, teq; nobis præſtò fore arbitrabar. Sed vt cognoui ex Alexandro Boiardo collega noſtro te obtinuiſſe, vt iſtic diutius eſſe poſsis, in ijsq; verſari ſtudijs, quæ vitam maxime moresq; excolunt, differre amplius nolui, quin his te litteris ſalutarem, ex quibus intelligeres tuum mihi conſilium probari, vt potè quod ab optimo animo eximiaq; prudentia profectum ſit. Quamquam quid tua non probem, quem omnia & cogitaſſe ſapienter, & ſtrenue geſsiſſe iampridem perſpiciam? Vnum hoc ſcito mihi valde moleſtum eſſe,*

quòd

quòd tuo iucundiſſimo conſpectu ſuauiſſimaq; conſuetudine caream, cætera vero mihi iucunda accidere; Nam te in ea eſſe vrbe, ad quam omnes viri docti confluunt, mirum in modum lætor cùm tua cauſſa, tùm etiam mea: Non enim vereor ne non doctiſſimorum virorum amicitiam ea qua excellis, modeſtia morumq; ſuauitate facile tibi concilies, ac me quoque in eorum gratia ponas, quos a me valde obſeruari non neſcis. Ita enim mihi pollicetur amor erga me tuus meaq; item non mediocris erga te beneuolentia requirit. Cura igitur, ſi me amas, vt in ſalutando meis verbis M. Antonio Mureto ſtudium tuum extet, quem quanti faciam noſti, quemq; vnum eſſe, qui ſplendore doctrinæ ſuæ totum orbem ſit maxime illuſtraturus, ſemper vt tute ſcis, iudicauerim. Octauium Agapitum virum doctiſſimum, quem ſemper colui, maximeq; feci, ſed à quo ſenſi me minime amari, ſalue re iubeas velim meo nomine, ad quem litteras interdum miſiſſem, ſi eas ipſi gratas fore putaſſem: Quæ cum eo præſens communicabis. Hæc ego libenter attigi, ut tuas litteras allicerem, quæ ſi ad me perferentur & aliquid afferent noui, tam mihi gratæ erunt, quàm me a te diligi cupio. Vale. Ferrariæ. Pridie. id ſextiles, CIↃ IↃ LXV.

EIDEM ROMAM.

REDDITÆ *mihi fuerunt ab Antonio Mario Furlano collega noſtro litteræ tuæ, quæ me dupliciter delectarunt; ſcribis .n. primum te ab amicis tuis inuitatum, ad conſpiciendum apparatiſsimos illos ludos acceſsiſſe, quos ampliſsimus Cardinalis noſter Tibure non ſine magno illorum quoq; ciuium ſumptu agendos celebrandosq; curarit, teq; ex eo ſpectaculo non mediocrem voluptatem cepiſſe; Deinde M. Antonio Mureto, qui tibi è quirinali deſcendenti caſu obuius fuerit, multam meo nomine dixiſſe ſalutem (quod quidem officium iampridem mihi debebas) eamq; ipſi periucundam fuiſſe adſcribis. Quæ omnia mihi grata fuere optime Canali, ſed quod in tuis litteris fuit extremum, id imprimis intelligere mihi optatisſimum extitit. Nam ego ne ludos pluris feciam, quàm præſtantiſsimũ illum Muretum, cui in omni uirtutum genere neminem antepono, per paucos comparo? Equidem, mihi crede, operam dare non deſino, quò aliqua ſeſe mihi occaſio offerat me iſtuc conferendi. Quam nactus ita auide arpiam, ut Romam certe aduolem; quò mihi uno tantum illius ſuauiſsimo congreſſu frui liceat: Vbi cum tu ſis non ſine magna animi*

tui

lætitia, huc te ab Antiſtite noſtro detrudi minime patere, præſertim ſi ab ampliſsimo Vitellocio, ut Boiardus noſter mihi retulit, tuæ iſtic per aliquot menſes ueniam moræ im petraris. Ac non eò dico, quòd tuam ſuauiſsimam conſuetudinem, noſtrasq; collocutiones mirum in modum non expetam, ſed & iſtic me habere collegam optimum, eximiaq; uirtute præditum, qui & nouas inire amicitias, & ueteres retinere optime calleat, multum mea intereſſe arbitror. Tu tamen quid expediat, & optimum factu ſit, pro tua prudentia facile dijudicabis. Intera perge me amare quod facis, quando te a me plurimi fieri non ignoras: Atque communes amicos, Octauium Agapitum præſertim meis uerbis ſaluta. Cura ut ualeas. Prid. Kal. Nouembris. CIƆ IƆ LXV.

EPISTOLARVM PAVLLI SACRATI CANONICI FERRARIEN.

Liber II.

PAVLLVS SACRATVS M. ANTONIO MVRETO. S. P. D.

IAMDIV *nihil ad te litterarũ dedi* Murete *præſtantiſsime ea ſanè de cauſſa, ne te in grauioribus ſtudijs tuis, & in munere præſertim publice interpretandi impeditum, magis impedirem, nec ante cogitaui ad te ſcribere quàm* Alexander Ca*nalius collega meus optimus me in hanc mẽtem impulit, cuius aduentus mihi certe periucundus fuit: eius enim ſuauiſsimo congreſſu carebam; quo ferè quotidie propter præſtãtes ipſius virtutes libenter fruor.* Nam mihi *primum de tua eximia humanitate ac moribus ſuauiſsimis, de tua ſingulari doctrina, ac dicendi facultate multa narrauit, neć non*

de

de maxima virorum doctorum frequentia, qui ad te audiendum quotidie confluerent: Quæ quidem mihi nec noua nec inopinata, quippe qui cognitam omnino ac ſpectatã haberem virtutem, ac omnium optimarum artium ſcientiam tuam, ſed gratiſſima acciderunt: Lætor enim mirum in modum illius meritis, quẽ ego ſemper admiratus ſum, ex quo tempore intueri ipſum mihi licuit, ſummos ab omnibus honores tribui. Addidit deinde non obſcura te ſigna illi amoris erga me tui cùm aliàs ſæpe oſtendiſſe, tùm diſcedenti diligenter mandaſſe, vt me tuo nomine ſalutaret, quo quidem officio dum Canalius ipſe fungeretur, mihi etiam vehementer gratulatus eſt, quòd tanto viro ita cordi ſim, vt ille mei memoriam retinere non ceſſet aliјs in rebus occupatus Quod quanti mihi faciendum ſit, oratione certe, aſſequi minime poſſum. Sed tamen cum ſumma efferar lætitia, quòd in gratia apud te ſim, non mihi arrogo, vt merito meo valde abs te diligar, eſſem enim modeſtiæ oblitus; Totum vero eximiæ ac præſtanti naturæ tuæ tribuo, quæ te etiam adduxit, vt quas proxime ad Canalium litteras miſiſti, in ијs honorificam quoque mentionem de me faceres. Itaque cum me ſtudijs in dies maioribus ornes, nec gratiarum actioni locũ relinquas, referendi autem non modo gratiã tibi, ſed ne vix cogitandi quidem facultas mihi ſit, Curabo equidem omni opera, ſtu-

dio, diligentia, aſsidua quoq; tuorum in me officiorum cōmemoratione, vt omnes homines memorem me ac tibi magnopere gratum eſſe intelligant. Quòd ſi ad præclara tua in me merita hoc quoq; acceſſerit, vt promiſſum exoluas, quo iampridem teneris, fateor me tibi ita deuinctum fore, vt nemini vnquam me plus debiturum eſſe profitear. Perge igitur me amare, quando totus tuus ſum; Ego enim ſumma obſeruantia amori tuo certe reſpondebo. Vale Murete ornatiſsime, quem præpotens Deus incolumem ac ſaluum diu ſeruet. Ferrariæ. VI. No. Quintilis. CIↃ IↃ LXVI.

M. ANTONIVS MVRETVS Paullo Sacrato.

ETSI *ſerius ad te ſcribo quàm oportuerat, ſpero tamen te eius rei veniam mihi facile daturum, cum, quæ tam diuturni ſilentij cauſſa fuerit, cognoueris. Nolebam ad te litteras meas ſine aliquo munuſculo venire, ideoq; expectabam, dum habuiſſem eam orationem, quæ, vt ſcis, mihi cauſa fuerat huc citius quàm opinabar, reuertendi, vt eam ad te vnà cum litteris mitterem. Habui autē eam nudius tertius tanta omnium approbatione, quanta mihi nunquam contigerat. Neq; tamen, quod tantopere cupiebam, poſſum adhuc eius te participem facere. Interdixit*

enim

enim orator Regius, ne cuiquam homini eius aut aſpiciendæ, aut deſcribendæ poteſtatem facerem, antequã eam ipſe miſiſſet ad regem, exploraſſetq́; ab eo per litteras, placeret ne eam diuulgari. Expectandum igitur erit tibi ad aliquot dies. Sed cum primum licebit, polliceor me nulli prius eam miſſurum quàm tibi: Poſtulat hoc amor erga me tuus, & illa tua & fratrum tuorum nullis meis officijs prouocata in me beneuolentia, quæ perpetuo obuerſatur animo meo, & interdum quieſcere me non ſinit, quomodo inſigne aliquid omnium veſtrum cauſſa facere poſſim, cogitantem. Quòd ſi nihil aliud potero, certè tamen in aliqua parte ſcriptorum meorum (ſi qua eſt ea gloria) intexam aliquid, quod poſteris teſtetur, mihi cum plurima vobis deberẽ, remunerandi facultatem non affuiſſe, ornandæ ac celebrandæ virtutis veſtræ voluntatem non defuiſſe. Vale. Fratribus tuis Canalio, Lollio, peto à te vt meo nomine ſalutem dicas. Romæ. IIII. id. Octob. CIↃ IↃ LXVI.

M. ANTONIO MVRETO
i. c. s. d. Romam.

QVANTVM acceperim dolorem ex diſceſſu hinc tuo Murete præſtantiſsime, ex eo facile pro tua ſumma prudentia iudicare potes, quòd poſtea ita affectus fui, vt ne lit-

teras quidem ad te dare potuerim. Sed, mihi crede, ita dolui, quòd è conſpectu meo quaſi fugiens euolaſti, vt maiorem nulla ex re, quæ mihi vnquam acciderit, moleſtiam traxerim. Careo *enim cùm dulciſſimæ conſuetudinis tuæ fructu, quem maxima animi cum voluptate quotidie ferè guſtabam, dum vix diem intermittebam, quin te conuenirem: tùm ſuauiſſimo congreſſu, doctiſſimisq; ſermonibus tuis, quorum mira ſuauitate, cum mecum eſſe bis terue domi meæ vnà cum* Iacobo *fratre haud grauatus eſſes, ita detinebar, vt niſi nos diremiſſet tempus & hora, me abs te auelli minime paſſus fuiſſem. Ac vt nunc de tua multa humanitate ac moribus eximijs dicere mittam, quibus nunquam mea par erit oratio; quid dicam de ſummis tuis in me ſtudijs, de tot ac tantis amoris & beneuolentiæ ſignis, quæ maxima mihi dediſti, vt me tibi vehementer grátum eſſe nemo non perſpiceret?* Quæ *cum mihi veniunt in mentem, tunc mirum in modum angor tantum ſolatium repente mihi ereptũ fuiſſe. Sed tu, quòd acerrimo ingenio ac ſingulari iudicio tuo futura longe prouides, non mediocrem ſummo dolori meo medicinam adhibuiſti, cum ea ad* Alexandrum Canalium *ſcripſiſti, quæ hanc animi mei ægritudinem valde leuarunt;* O*ſtendis enim in litteris tuis meam ſummam ergã te obſeruantiam magnopere tibi gratam extitiſſe, teq; nunquam mei memoriam depo-*

ſiturum,

ſiturum, ſed ſemper in eorum, quos vnice ac ſingulariter amas, numero habiturum eſſe affirmas; Quarum etiam humanitatem litterarum Canalius *ipſe ſuaui ſermone ſuo ſubſecutus eſt; ita enim mecum & mirabiliter ſentit, & palàm prædicat, vt te admodum colere præſeferat.* A *t reliquiæ doloris me exercent* Murete *optime: tuæ enim incredibilis comitatis conditæ magna grauitate non mediocre mihi deſiderium reliquiſti, impedire tamen non potuerunt, quin has ad te darem;* Dum *enim tecum colloquor, teq́; cogitatione complector abſentem, omni mœrore animi ferè mihi ſolutus videor.* Quas *tibi fore non ingratas, qualeſcunque eæ ſint, ex hoc conijciam, ſi tu ad alia tot tua in me officia hoc quoque addideris, vt tuarum me litterarum ſuauitate oblectes;* Quod *ſi impetraro, non ſolum omni me moleſtia liberabis, ſed tanto etiam gaudio afficies, vt me reuixiſſe putem.* Vale *ætatis noſtræ decus.* Ferrariæ. *idib.* Octob. CIↃ IↃ LXVI.

M. ANTONIVS MVRETVS Paullo Sacrato amico eximio ac ſingulari.

A T *ita mihi omnia quæ volo, in vita contingant* Sacrate *optime & humaniſſime, vt ego ſimul atque liberatus ſum ea cura orationis habendæ ad* Pontificem, *quæ me tam*

multos dies occupatum diſtrictumq́; tenuerat, litteras ad te dedi, quibus & cauſſas afferebam illius diuturni ſilentij mei, & cur eius orationis exemplum, cum maxime cuperem, tamen ad te mittere adhuc non poſſem, aperiebam. Nunc ad alia. Ego mi Sacrate, niſi te & fratres tuos homines humanitate, comitate, omni deniq; virtute tibi geminos, totamq́; vno verbo domum veſtram non amem modo, ſed colam etiam & obſeruem, & ingratum me & hominis nomine indignum eſſe fatear: Ex quo enim me ad amicitiam tuam applicui, ita mihi veſtra omnia patuerunt, vt planè perſpicerem, cum inter vos, vt & fratres & vt tales fratres decet, amiciſsimi & coniunctiſsimi ſitis, vix tamen eſſe quenquam ex vobis alteri quàm me omnibus cariorem. Idq́; eo maius mihi atq; admirabilius videtur, quòd nullo meo in vos merito prouocati, tanta me beneuolentia complexi eſtis, vt planè cognorim verum eſſe, quod a ſapientiſsimis hominibus dictum acceperam, vt quiſque ipſe amabiliſsimus ſit, ita ad alios amandos promptiſsimum ac propenſiſsimum eſſe; Nam quòd tu cauſſam amoris erga me tui ſolitus es conferre in eruditionem ſcilicet meam, & alia quedam magna ac præclara bona quibus tibi videor excellere: Vtinam quidem ita eſſet, vt prædicas. Sed quò me diligentius excutio, eò magis intelligo omnia in me aut me-

dio cria eſſe, aut etiam infra mediocritatem; nihil eximium aut ſingulare, nihil quo non vnus aliquis ex multis me aut adæquet aut vincat. Itaque indulgeas licet amori tuo, & ijs me laudibus immerentem oneres, quas ego in te referre multo iuſtius ac verius poſſem: Nunquam *efficies vt non ego tuum in me ſtudium tuæ tantum humanitati acceptũ feram.* Sed *his quidem rebus iam modus ſit, aut potius perpetuum inter nos de eis ſilentium.* Peto *à te vt me hic aliquid tua cauſſa facere iubeas, quo teſtari poſſim, quantũ tua cauſſa cupiam.* Mihi *crede, enitar, & vt ſpero, perficiam, vt tum ad æquanda tua in me merita, facultatem mihi deeſſe omnes videant, voluntatem deeſſe nemo arbitretur.* Fratribus *tuis,* Alexandro Canalio, Alberto Lollio, *cæteriſq; amicis communibus peto, vt meo nomine ſalutem dicas.* Vale *xij.* Kal. Nouemb. Ex *Vrbe* CIↃ IC LXV.

PAVLLVS SACRATVS Franciſco Morando. i.c.s.p.d. Veronam.

POSTEAQVAM *iſtinc diſceſſi Morande doctiſſime, multum ac diu cogitare non deſtiti, qua nam potiſſimum ratione efficerem, vt ab amicis noſtris quam gratisſimus erga te ac nobiles claroſq; fratres tuos, & patrem tuũ grauiſſimum virum cognoſcerer. Tanta enim*

tuæ ac eorum omnium fuit erga me amoris ſignificatio. tanta in me accipiendo humanitas ac liberalitas, vt omnem cogitationem meam vicerit magnificentia veſtra. Si hoc litterarum genere vterer, quæ mea par eſſe poterat oratio ſtudijs veſtris, quæ gratiarũ actionem minime deſiderant? Si vero reipſa gratus vobis eſſe vellem, non opibus fortuniſq; adeo valebam, vt vobiſcum contendere mihi liceret. Itaq; & ſi reliqua videbatur eſſe deliberatio, vt perpetuam ſaltem vobis gratiam haberem, ac vos in me officioſiſſimos & in colenda amicitia conſtãtes aſſidue prædicarem, non tamen mihi ipſi ſatisfaciebam. His ego cogitationibus diu detentus in hanc tandem ſententiam veni, vt ad tuã humanitatem mihi confugiendum eſſe cenſerem. Quæ cum in te ſingularis ſit, in ſpem magnam me adducebat, qualecunque meum grati animi erga te tuoſq; omnes indicium tibi iucundum atque acceptum fore. In qua vt perſeuerem ſententia Morande humaniſſime, fecerunt litteræ tuæ amoris atque ſtudij non mediocris pleniſſmæ, quas nuper attulit mihi Franciſcus Gandinus noſter: In ijs.n. vel maxime elucet animi tui magnitudo, cum mecum perinde agis ac ſi accepiſſes beneficium, & non dediſſes. Itaque cum me abs te omnibus officijs ſuperari fatear, quid mihi reliqui eſt, niſi vt virtutes tuas admirer, ac grata memoria proſequar? quod

quidem

quidem ſedulo faciam, mihi crede, vt omnes intelligant, me tibi cum alia ratione non poſſim, amore certe incredibili, ac perpetua quadam mea erga te voluntate ita reſpondere, vt memorem ſaltem animum præſtare nõ deſinam. Quòd in ſextilem menſem tuam ad balneas profectionem diſtuleris, optimo ſanè conſilio id abs te factum eſſe non dubito. Te vero curis multis diſtineri moleſte fero; Vereor enim ne vim ingenij tui propè ſingularem, ex qua præclara iam monumenta profecta ſunt, & in dies maiora à nobis expectantur, in domeſticis occupationibus conſumas. Sed ſi me audies, Aloiſio fratri, cuius ſuauiſſimos mores, modeſtiamq́; quotidie ante oculos mihi propono, onus omne impones, quod pro eo quanti te facit, certo ſcio libenter ab ipſo ſuſceptum iri, animumq́; ad ſtudia tua referes. In quibus tempus abs te ſic conſumi cupio, vt non prætermittas Antiſtitem iſtic noſtrum integerrimum virum interdum viſere, tuoq́; ac meo nomine ſalutare; quem mei memoriam cum beneuolentia tenere mirum in modum lætor, ac loco maxime felicitatis duco; quanquam tuo erga me amori hoc tribuo, quo impulſus ſæpe de me apud illum mentionem facis: Sed perge mihi ipſius animũ quotidie magis cõciliare, hoc n. aſſequeris, vt ad tua in me merita cumulus accedat. Vale. atq; Aloiſiũ noſtrũ meo nomine ſaluere iube. VI. id. Iunij. CIↃ IↃ LXVI.

D 6 MAR-

M. ANTONIO MVRETO
S. d. Romam.

EGO ad te litteras iandudum dediſſem Murete præſtantiſſime, ex quibus intelliges me in crebra tui nominis commemoratione conquieſcere, niſi magna me diu ac multum detinuiſſet valetudinis infirmitas: Nulla enim maiori, mihi crede, voluptate affici ſoleo, quàm cum per litteras tecum colloquor, dum tuo iucundiſſimo conſpectu frui non poſſum; Quod cum per corporis imbecillitatem perficere hactenus mihi non licuerit, egi ſæpe per litteras cum Nicolao Thalamio moribus ſuauitate ac doctrina prædito, mihiq; amore & amicitia coniunctiſſimo, quas ad eum aliena manu ſcriptas miſeram, vt ſalutem meo nomine tibi nuntiaret, ac me tui ſtudioſiſſimum eſſe, tuarumq; excellentiſſimarum virtutum cultorem egregium ſignificaret. Quod illum facere non deſtitiſſe ex ipſius litteris cognoui. Non enim tam laborabam vt priſtinam ſalutem reciperem, quam ne tanti viri gratiam, quam non merito meo vllo, ſed eius bonitate ac liberalitate mihi conciliarā, penitus effunderem. Iam vero ſtatim vt ex morbo conualui, perbreues has ad te ſcripſi, vt ad reſpondendum te prouocarem, quas tibi ex eo gratas fuiſſe perſpiciam, ſi cum lectioni publicæ vacatio tibi fuerit (ita enim æqui

tas

tas ac modeſtia poſtulat) exoptatisſimas litteras tuas accepero. Vale, meq́; vt conſueſti, ama. Ferrariæ. IIII. idus Decembris CIƆ IƆ LXVII.

M. ANTONIVS MVRETVS Paullo Sacrato s. p. d. Ferrariã.

QVOD *nunquã antea euenerat, quodq́; nunquam euenturum, qualibet ſponſione contendere auſus eſſem, id euenit: vt litteræ tuæ, quæ mihi ſemper ante hac iucundiſsimæ fuerant, nuper dolorem mihi ac mæſtitiam attulerint ſingularem. Nam cùm illud mihi per ſe graue atque acerbum fuit, & ægrotaſſe te, & diu ac grauiter ægrotaſſe: tùm vix credas quam me pupugerit illa cogitatio, interea toto illo tempore ceſſaſſe me, & quodã modo defuiſſe officio, neque quidquam ſcripſiſſe, quò hominis amiciſsimi, & de me optime meriti leniretur dolor. Etſi .n. vere hac excuſatione vti poſsũ, neſciſſe me, tibi male eſſe: tamen ea ipſa excuſatio excuſationis indiget: cum inde corum ſit, cuius in me tot tãtaq́; officia extiterint, tandiu me, qua is valetudine vteretur, neſciſſe. Eſt omnino huius rei culpa aliqua etiam in communibus amicis. qui cum me tuo nomine ſalutabant, nihil addebant, niſi illa vulgaria, conſeruare te diligenter memoriam mei, & ſcripturũ ad me, cum commodum eſſet: petere, vt ego*

quoque

quoque idem facerem : inualetudinem tuam aut celabant me, aut ipſi quoque neſciebant. Vtut eſt, conualuiſſe te gaudeo : petoq; a te primum, vt pro ſolita tua humanitate ignoſcas mihi, ſi diutius ad te ſcribere diſtuli quã par erat : deinde vt quantum me amas tantũ operæ ac diligentiæ conferas ad valetudinẽ tuam & confirmandam & conſeruandam. Hoc ita videris facillime conſequi poſſe, ſi ad corporis exercitationes aliquid addideris, de exercitationibus animi atque ingenij aliquid detraxeris. Ne ve putes quidquam me tibi ſuadere, quod non ſatis exploratum habeã: ego quoq. idem facere cœpi, & mihi inſigniter prodeſſe ſentio. Tu quando eo ingenio es vt cognatis, vt amicis, vt patriæ, vt bonis omnibus libentiſsime operam des, eorumq; commodis perpetuo inſeruias, ut id facillime ac diutisſime facere poſsis, elaborato. Mi Sacrate optime & amicisſime etiam atque etiã Vale. Salutem plurimam lectisſimis tuiq; ſimillimis viris fratribus tuis. itemq; Paludino, Canalio, cæteriſq; amicis. Romæ. XIII. Kal. Ianuar. C I Ͻ I Ͻ L X V I I.

PAVLLVS SACRATVS
M. Antonio Mureto. viro
eximio. s. d. Romam.

E G O *ad te iamdiu non ſcripſi, quod te ab Vrbe abeſſe audieram, & eſſe Tibure cum*

cum ampliſſimo Cardinali tuo. Sed Nicolao Thalamio tui ſtudioſiſſimo ſæpe mandaui, vt quotienſcunque cognoſceret te in vrbem rediÿſſe, meis te uerbis ſalutaret, ac me apud te in gratia poneret. Qui me per litteras certiorem fecit ſe mandata mea diligenter curaſſe, perſpexiſſeq́; me a te magnopere diligi. Itaque Nicolai humanitas ac diligētia (fateor) me in fungendo munere meo negligentem reddidit. Nam cum eum iſtic haberem, cuius opera atque induſtria pro veteri mea cum eo amicitia vti mihi liceret, officÿ mei ferè oblitus ſum. Acceſſit vt negligentior factus ſim, quòd diſtillatione valde moleſta complureis dies laboraui, quæ & facultatem ſcribendi mihi eripuit & voluntatem abÿcere impulit. Proxime vero ab eo admonitus in animo tibi eſſe longiores ad me litteras mittere, tanquam è graui ſomno, mihi crede, excitatus ſum: Timui enim ne anteuerteres, quod ab inſtituto meo prorſus alienum fuiſſet. Nam cum mihi in optatis ſit diuina tua ſcripta ſemper legere, ſoleo te aliqua puſilla epiſtola interdum laceſſere, quò te alliciam ad ſcribendum, capiamq́; ex litteris tuis eam voluptatem, quæ ex illius, qui omnibus ingenÿ gloria antecellit, doctrina percipi poteſt maxima. Quare quoniam meus ita faciendi mos eſt, hæc ad te ſcripſi primū, vt quæ Thalamio recepiſſes, in memoriam redigerem: Deinde vt ſignificarem tibi, ſi vnquam

quã aliàs, nunc præcipue vigere nomen tuũ, nec a me vllum ferè diem ſine tuarum eximiarum virtutum mentione intermitti. Quid *enim me magis delectat quàm meus cum amicis de illo ſermo, quem propter ſummam humanitatem tanti facio, quàm qui maxime, & propter magnarum ſcientiam artium mirum in modum admiror?* Te vero *in amore mihi reſpondere, quanto afficiar gaudio, tu qui ſenſus meos iam cognitos habes, facile iudicabis.* Perge *quidem, vt facis, pro hoc enim tuo in me ſtudio perpetuo tibi debiturus ſum.* Vale *ætatis noſtræ decus.* Ferrariæ *xv.* Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXVIII.

EIDEM ROMAM.

VEREOR *interdum, ne dum litteras tuas expecto, quæ me de ſtatu tuo erudiant, interim te mei capiat obliuio: Idq; vt cauerem, omnibus officijs, quæ á me tribui amicitiæ noſtræ potuerunt, diligenter curaui.* Quod *ſi temporis diuturnitate id accidere haud poſſe arbitrarer, non te litteris nunc obtunderem in ſtudijs apprime occupatum, præſertim cum nullum ſcribendi argumentum mihi ſuppetat, vno hoc excepto, quòd valde timeo ne* Paullus Sacratus *è tua memoria inuitus elabatur.* Niſi *enim hunc ſcrupulum mihi euelleris, nihil amplius amoris erga me in te reſidere arbitrabor.* Te *vero*

a me

a me in dies pluris fieri etſi nihil eſt quod du bites, id tamen teſtibus permultis planum ti bi faciam, Canalio imprimis & Alberto Lol lio, qui te valde obſeruant atque admirãtur: Teſtificabũtur enim ij nunquam Mureti mei optimi ac ſuauisſimi memoriã ex animo meo diſcedere. Nam nullum, mihi crede, tempus prætermitto multa de te cum Canalio verba faciendi mirabiliterq; loquendi; magnopere enim in tuo nomine acquieſco. Tu quoque ſi non paſſus fueris te mihi in ſuſpitionem tuæ de me obliuionis venire, verum oſtenderis meæ admodum propenſæ in te voluntatis re cordari, non ſolum me vehementer recreabis, ſed magna etiam voluptate perfundes. Vale: Ferrariæ iiij. No. Ianuar. CIↃ IↃ LXIX.

M. ANTONIVS MVRETVS Paullo Sacrato. s.p.d. Ferrariã.

NON puto me tibi ita ignotum eſſe, Sacrate vir optime, & eruditisſime, vt metus ille, quem ſcribis, cadere in animum tuum potuerit, ne, quia diu iam ad te non ſcripſiſſem, tui etiã oblitus eſſem. Quomodo enim tui me capere posſit obliuio, qui & is vir es, cuius etiam ſi nulla vnquam in me officia extitiſſent, ſingularis tamen probitas & doctrina deleri ex animo meo non poteſt, & ea in me officia cõtuliſti, ut etiã ſi illa in te non eſſent, quæ te omnibus & amabilem & admirabilẽ

reddunt,

reddunt, ego tamen non ſumme amare te ſine ſingulari improbitate, ac prope dixerim, impietate non poſſem? Sed vt ijs quos ita alto ſopore oppreſſos videmus, vt nullis clamoribus excitari queant, aculeos interdum admouemus: ita tu mihi nimis iam diu, vt verum fatear, dormienti, & ad tuas ſuauiſsime amantiſsimeq́; ſcriptas litteras nihil reſpondenti, iſtas orationis faces adhibere voluiſti, quibus me non languentem modo, ſed, ita me deus amet, ſemimortuum ad ſcribendum excitaſſes. Illud mihi moleſtũ eſt, quòd tam longo interuallo nihil tamen habeo quod poſsim ſcribere, præter illa communia, valere me, & tibi ex animo bene cupere, neque quenquam eſſe omnium mortalium cuius ego amicitiam tuæ anteponendam putem. Neque vero aut Lollium meum minus amo quàm ſolebam: aut eos quos tu mihi conciliaſti ornatiſsimos viros collegas tuos Paludinum & Canalium: ſed neſcio quo modo hos iam aliquot menſes tantus me occuparat veternus, tanta ſcribendi ſatietas ceperat, vt ne in Galliam quidem ſcriberem ad quoſdam, qui mea illic magni ſanè momenti negotia procurabant. Sed hunc torporem excutiam vel maxime cauſſa tua non quòd periculum eſſe vllum arbitrer nẽ ἡ ἀπροσηγορίη vt eſt in illo vulgato verſu, amicitiam noſtram diſſuat: Sed quòd iniquum eſſe intelligo, pro tuo erga me ſummo amore, quidquam a me committi,

quod tibi moleſtiam adferre poſſit. Vnum a te peto, vt quemadmodum ijs qui diu ægrotarunt, vbi conualeſcere incipiunt, exercitationes a principio non valde laborioſæ imperantur: ita tu mihi, qui nunc primum accepto litterarum tuarum pharmaco ex illo diuturno pigritiæ morbo ἀνακομίζομαι, neque longas neque accurate ſcriptas litteras imperes: neque in eis aliud quàm meam erga te propenſiſſimam voluntatem & obſeruantiam ſpectandum, aut requirendum putes. Mi Sacrate etiam atq; etiam Vale, & me ama. Romæ. xviij. Kal. Quintiles CIↃ IↃ LXIX.

PAVLLVS SACRATVS M. Antonio Mureto. s. p. d.

ET *ſi complures dies Murete optime litteris tuis carui, quod te maximis occupationibus diſtrictum eſſe non mediocri mihi fuit argumento, cum tu in ſcribendo impiger eſſe ſoleas; Interea tamen non ſiui tui mentionem vnquam intermitti. Ego enim cum Paludino & Canalio in aliquem de te ſermonem ferè quotidie incidebam. Quid enim ſuppetere nobis vberius poterat, quàm de tua eximia virtute diſputatio. Redditæ tandem mihi fuerunt ab Hercule Fuccio litteræ tuæ vnà cum oratione, quam pro Rege Poloniæ habuiſti, quibus lectis a riſu abſtinere non potui, nec ſatis mirari, qui tam breuē, tamq;*

nouam

nouam omnibus vno temporis puncto amicis tuis ſatisfaciendi rationem iniſſes, nec aliter collegis meis optimis vſu venit, quos lectionis litterarum tuarum continuo feci participes. Quare mihi, qui te, quantum fert ingenij mei tenuitas, imitari ſtudeo, dabis hanc veniam, vt in hoc quoque laconico ſcribendi genere auctorem ſequar. Orationem tuam ſcito ab omnibus nobis non ſolum probari vehemẽter, ſed ſummis etiam laudibus efferri, nec tamen abs te vinci opinionem de te noſtram, qui a ſummo ingenio tuo excellentiq; doctrina maiora etiam expectemus. Vale Canalius, Iacobus frater meus, cæteriq; amici perpetuam tibi incolumitatem, ac felicitatem cupiunt, multamq; tibi ſalutem dicũt. Ferrariæ, xvi. Kal. Sextil. CIↃ IↃ LXIX.

IVLIO CANANO
Epiſcopo Adriæ.
Rodigium.

QVOD *antea vix mihi optandum erat Pontifex optime, vt me in tuam familiaritatem inſinuarem, cum nulla mihi tecum de aliqua re communicãdi ſe ſe offerret occaſio, quæ ad eã aditum mihi aperiret, id nunc Dei opt. max. beneficio conſecutus ſum: Cuius diuino afflatu nõ inuitus ego ad prouincialẽ Synodũ* Rauennaten; *acceſſi; in qua cũ tu pro tua ſumma dignitate grauiſſimã perſonã ſuſtine-*

rea,

res,eueniebat interdũ, vt de ijs,quæ ibi tractabantur, cum Antiſtes quoque meus Ferrarien. adeſſet, non nihil vnà diſſereremus. Itaque meæ illuc profectionis fructum hunc vel maximum tuli, quòd facultatem illic tecum ſæpe colloquendi à Deo mihi oblatam eſſe videbam, tuamq; in dicendo grauitatem leporis ac miræ venuſtatis plenam contemplandi: Quæ mihi iungendæ tecum amicitiæ potiſſimum cauſſa fuit. Tu vero cum diuino illo ingenio tuo & eximia prudentia, me maiori tui ſtudio incendi atque inflammari quotidie cognoſceres,ea,qua excellis humanitate,me ita complexus es, vt facile in fidem atque amicitiam tuam receperis. Cuius tui in me amoris non mediocrem mihi ſignificationem poſtea dediſti, cum me ad diſputationem ſæpe iocans prouocabas, palamq; oſtendebas te ex ſermonibus meis non nihil voluptatis capere, quod amplum certè mihi erat atque perhonorificum. Talia tu ac tot cum in me ſtudia contuleris, nullumq; officium prætermiſeris non Rauennæ ſolum, ſed etiã Ferrariæ, teſtificandæ omnibus tuæ erga me voluntatis, Quid erat præterea, quod a tanto ac tam ſingulari viro deſiderarem? Equidem dum hæc mecum cogito, tuamq; benignitatem ſumma cum dignitate coniunctam, ingenij tui morumq; optimorum ſuauitatem memoria repeto, omnibus me valde beatum ac felicem eſſe prædico, qui me in-

clien-

clientelam tuam contulerim: Quem enim patronum ad me tuendum ac fouendum adoptare maiorem poteram? Cum igitur te ſummopere colendi complures habeam cauſſas, ſcito me operam daturum eſſe, atque enixe conaturum, vt omnes intelligant, cum te vehementer ſuſpiciam, me tamẽ ne partem quidem tuorum in me ſtudiorum aſſequi poſſe, tantumq́; tibi debere, quantum nunquam perſoluturus ſum, niſi tua me liberalitas in hoc adiuuerit. Ac meus quidem in te animus quotidie tibi notior atque illuſtrior fuiſſet, ſi eſſe hic vnà potuiſſemus, & à religionis officio declinare tibi licuiſſet, ſed cum a nobis locorum interuallo te ſeiunxeris, eòq́; profectus ſis, quò tua te dignitas vocabat, vnum perfugium ſolicitudinis meæ quod cõgreſſu tuo caream, mihi reliquum eſt, hæ literæ ſcilicet, quas nunc ad te dedi, vt per me certior fias, cum tua comitas affabilitasq́; ad coniunctionem noſtram aditum mihi patefecerit, eam me omnibus culturum eſſe officijs, quæ ab homine tibi deditiſſimo expectari poſſunt; & cui tenues quidem opes ſint, animi vero magnitudo in celebrandis egregijs tuis virtutibus, integritate præſertim ac prudentia tua nunquam defutura ſit. Tu quoque, ſi ſemel ſuſceptam tuo iudicio beneuolentiam erga me tuam ita cõſeruare ac tueri non grauatus fueris, vt omnes me in gratia tecum eſſe ſentiant, magno abs te beneficio affectũ
eſſe

eſſe putabo, ſpondeboq; tibi fore, vt huius facti tui nullo vnquam tempore te pœniteat. Vale Antiſtes humaniſſime, quem Deus incolumem diu ſeruet. Ferrariæ xij Kal. Iun. CIↃ IↃ LXVIII.

EIDEM RHODIGIVM.

ACCEPERAM *vnas litteras tuas Antiſtes optime poſtridie eius diei, quàm ad te epiſtolam meam miſeram, quæ valde mihi iucundæ fuerant, quòd maximam tuam erga me beneuolentiam ſignificabant; ſed ego pudore quodam deterritus, ne meis te nugis obtunderem, quem propter munus pontificium quod ſuſtines, non me latet ſummis occupationibus diſtineri, tibi tunc non reſpondi.* Nunc *verò alteris tuis, quæ proxime mihi redditæ fuerunt, incredibili humanitate pleniſſimis vehementer prouocatus, mihi differendum eſſe amplius non duxi, quin continuo ad te reſcriberem, ne quod tardius te ſalutarem, quàm par erat, vel inertiæ, & animo imbecillo aſcriberes, vel (quod ne in cogitationem quidem tuam cadere debet) me tibi in amore non reſpondere ſuſpicareris.* Venio *igitur ad iucūdiſſimas mihi litteras tuas, quarum capita duo tacita mihi prætereunda non ſunt: ais enim primum me non ad te, ſed ad alium quempiam præſtantiſſimum virum ſcripſiſſe, quòd ea in te haud agnoſcas, quæ*

à me

à me tibi tribuuntur. Lætor mirum in modum humilitatem cum dignitate contendere, nec perſonam illam grauitatis atq; ſeueritatis abs te appeti in quo vel maxime apparet animi tui moderatio. Certo tamen ſcio, cum ſingularia animi tui bona, mores integerrimos, dignitatem deniqùe tuam cum ſapientia abs te retentam perſpicere mihi videar, me ne attigiſſe quidem ea, quæ tuæ virtuti in primis debentur, nedum quòd te diuinis ornarim laudibus, atque in cœlum extulerim. Non enim in tam ingenti campo vagari mihi licuiſſet, quòd facultas orationis ea in me non ſit, quæ tuis præclariſſimis virtutibus par eſſe poſſit. Quin mecum in eo præclare actũ eſſe puto, quòd prudens & ſciens eò me non demiſi, vnde exitum nullum eſſe viderem. Quæ cum ita ſint, me falsò nomen tuum in meis literis vſurpaſſe iniuria mihi attribuis. Deinde cum ſcribis te antea ſtatuiſſe iſtinc ſecedere, vt æſtiuos calores vites, non tamen te Ferrariam conferre, quòd eo tempore nec amænum nec ſalubrem hunc locum cenſeas, ſententiam vero mutaſſe, vt congreſſu meo fruaris, non ne maximum tuum erga me ſtudium extat, quòd me deridere, mecumq; iocari non graueris? Quòd ſi te ſerio loqui fortè contendas, eam in partem ſenſa tua interpretabor, vt cum æqualibus tuis, quos hic adeſſe non ignoras, aſſidue verſari cupias, aut certe cum his eſſe principibus, quibus cũ

magna tibi iamdiu familiaritas intercedit: Nam de me tibi polliceri potes, etiam ſi tu ad nos non accedas, quò me vocaris, me ſemper, quoad eius fieri poterit, ad te aduolaturum: Et quoties hic eſſe tibi contigerit, me tibi præſto eſſe futurum, atq; in eo me peccaturum potius, vt tibi moleſtus ſim, cum tuo benigniſſimo conſpectu ſui maxime cupiam, quàm vt vllam operam meam deſideres: Et hoc re ipſa præſtabo, ne vnquam tua de me te fallat opinio. Interea me totum tuum tuere atque foue. Vale Antiſtes optime, quem Deus Opt Max. perpetuo fortunet. Ferrariæ idib. Iunij CIↃ IↃ LXVIII.

EIDEM RHODIGIVM.

CVM hinc diſceſsiſſes Antiſtes humaniſsime vt eò accederes, quò à Deo vocatus fuiſti, Ego, qui paucis ante diebus ex mirifica conſuetudine tua magnam voluptatem acceperam, poſtridie quàm profectus es, non mediocri ex diſceſſu tuo mœrore ſum affectus. Itaque poſt biduum me in villam meã contuli, vt quoad eius fieri poterat, omnem ſollicitudinem deponerem, meq; recrearem; in qua colenda non ſolum ſtudij multum ponere ſoleo, ſed etiam valde conquieſcere. Sed nec aſſequi potui, vt ea me cura, qua vehementer angebar, prorſus liberarem. Quin tanta diſtillatio dextrũ genu meum arripuit; vt

conſiſtere non poſſem. Itaque ægritudini ſociam ægrotationem adiunxi, coactusq; fui in ciuitatem redire, ac denique in lecto iacere. In quo cum adhuc me retineat morbus, differendum tamen nõ putaui, quin hoc tibi ſignificarem, ne ſi diutius ad te ſcribere intermiſiſſem, de mea ſumma erga te obſeruantia nõ nihil imminutum eſſe arbitrareris. Ego vero, qui emori mallem, quàm ex animo tuo effluere, præſertim cum eò me beatum putẽ, quòd in gratia tecum ſim, has ad te litteras aliena manu dare potius volui, quàm in opinione tua relinquere, quod te offendere poſſet. Hoc enim exiſtimes velim curæ mihi ſemper fore, vt ea cogitem ac mediter, quæ tuum in me amorem quotidie magis prouocent: Nam ſi fortè animum erga me tuum immutares (quod immortalis Deus auertat) nemo non mea culpa accidiſſe arbitraretur. Quare te vehementer etiam atque etiam rogo, vt has, qualeſcunque eæ ſint, libenter accipias, quas tibi ſi fuiſſe gratas intellexero, de infirma valetudine mea multum erit detractum. Vale. Deus clementiſſ. te diu incolumem ſeruet. Ferrariæ x. Kal Nouemb. CIↃ IↃ LXVIII.

EIDEM RHODIGIVM.

CVM *ſuperioribus diebus litteras ad te miſiſſem aliena manu exaratas, quòd ego diſtil-*

*ſtillatione quadam ita angerer, vt me à lecto
abeſſe non liceret, paucis poſt diebus infirmi-
tate illa vt ſenſi paululum me leuatum eſſe,
Veronam me contuli, vt cum Epiſcopo de
quodam negotio meo agerem, diſſuadenti-
bus mihi tamen familiaribus meis, ne me hoc
tempore in viam darem, magnum enim fo-
re periculum, ne morbum augerem. Sed cum
ibi optimus ille Antiſtes ſumma me huma-
nitate complexus fuerit, nec obſcura mihi
indicia oſtenderit amoris erga me ſui, in quo
meam opinionem vicit, & me magnopere
delectarit amicorum, quos illic complures ha-
beo, ſuauiſſima conſuetudo, amœnitas deniq;
illius ciuitatis & collium, quos ſæpe conſcen-
debam, vt corpus exercerē, valde me recrea-
rit, ita, mihi crede, è graui morbo illo conua-
lui, vt robuſtior multo quam antea factus fue
rim. Itaque Ferrariam inde lætus redij, vbi
domeſtici mei cum litteris tuis ſtatim mihi
præſto fuerunt, quas cum legiſſem amoris ac
ſtudij pleniſſimas, mirum quantum ad læti-
tiam meam acceſſerit: Nam me à tali ac tan-
to viro diligi, certè ne mentiar, valde mihi
gratum eſt atque periucundum. In ijs autē
quod petis à me vt de ſalute mihi ab æterno
Deo pro ſumma eius benignitate data certio-
rem te faciam, quò de illa mihi gratuleris;
an ſingularis, tua humanitas in hoc non ma-
xime apparet, qua impulſus tantópere mihi
faues, tamq; amanter me amplecteris, vt gra*

uem illam perſonam tuam interdum mea cauſſa deponas? ſed huic petitioni tuæ mihi honorificæ me non obſequi turpe ſanè exiſtimarē. Scito igitur me nunc maximo Dei beneficio optime valere, omnemq́; meam cogitationem in eo figere atque locare, vt tuam in me beneuolentiam perpetuo tuear. Vale. Antiſtes optime. Ferrariæ Nonis Decembris CIↃ IↃ LXVIII.

FRANCISCO MORANDO. I. C. Veronam.

EGO *Morande optime quantum pro tot ac tantis in me officijs tibi debeam, ſum mihi ipſi conſcius; quantum vero me debere profiterer, cum iſtic tecum familiariſſime eſſem, tu optimus teſtis es, cui non ſolum verbis, ſed vultu etiam ipſo animum meum exprimere conatus ſum, nec tamen vnquam mihi ſatisfeci, quòd omnem cogitationem meam, nedum orationis facultatem longe ſuperaret tuorum in me meritorum magnitudo. Nam quid ſingulari tua humanitate, ac ſummo erga me ſtudio præclarius & illuſtrius dici potuit? Tu vt mecum domi foriſq; aſſidue eſſes, & actionum mearum ſocius ac particeps, omnem domeſticarum rerum tuarum curam depoſuiſti, cum huic tuo conſilio inuitus acquieſcerem. Tu ei negotio, quod me ad faciendum iſtuc iter impulit, non ſolum interfuiſti*

fuiſti, ſed etiam ita præfuiſti, vt, quòd omnia mihi ex ſententia ſucceſſerint, totum tuæ virtuti atque induſtriæ acceptum referam. Tu denique omnia mihi maximi amoris ſigna oſtendiſti, quæ ab amiciſsimo viro expectari poſſunt. Quæ, mihi crede, perpetuò hærebunt in memoria: Non enim ab obſcura perſona, ſed à Franciſco Morando cùm præclaro iuriſconſulto, tùm omnibus artibus, ac præſertim eloquentiæ laude eximio, tantis beneficijs affectus ſum; Pro quibus ſi tibi immortales me gratias agere dicam, ſanè irrideas: At nec ero adeo amens, vt me tibi reipſa ſatisfacturum affirmem, quippe qui, cum omnia mea in te ſtudia contulerim, teq; mihi colendum propoſuerim, ne partem quidem tuorum in me officiorum vnquam me aſſecuturum eſſe confidam. Quare cum hæc ita ſint, ſi munuſculū illud, quod attulit Franciſcus Gādinus familiaris meus, ab eo ſaltem libenter acceperis, exiguum quidem meæ in te propenſiſsimæ voluntatis indicium, ſed ab homine tibi deditiſsimo profectum, memorem certè me tibi ac gratum aliqua ex parte præſtitiſſe putabo. Vale eruditiſsime Morande, ac patrem tuum præclarum virum, quem magnopere obſeruo; Nec non Nicolaum, quem vti fratrem vehementer amo, meis verbis ſaluere iube. vij. id. Decēb. CIↃ IC LXVIII.

EIDEM VERONAM.

QVANTVM *mihi grata extiterit epiſtola tua, vt potè quæ ornatiſsimis & optimis verſibus ſcripta erat, nulla oratione explicare queo; Illa enim dulcedinem, & leporem, doctrinam denique ita redolebat, vt nihil magis. Tantum autem in ea ſtudium erga me tuum apparuit, vt cum digna eſset, quæ ediſceretur, Ego tamen vnum & alterum duntaxat participem feci, præterea neminem, nē meas laudes eodem tempore memoriæ mandari velle viderer. Quibus tu cum modum nō ſtatueris, extra cancellos egreſſus (bona tua cum venia dixerim) cæteri forte in eam partem accipiant, atque interpretentur, vt mihi illudere ac familiariter me ridere volueris; tantum enim mihi tribuis, quantum in me agnoſcit nemo; Ego te veteri amicitia noſtra, vel nimio potius in me amore adductum eſſe puto, vt qualem me eſſe velles, talem me tuis carminibus deſcripſeris atque depinxeris. Verum vt me à te amari magnopere gaudeo, ita laudari minime cupio. Tu tamen vt in amore pergas; quis enim tanti viri beneuolentiam non appetat? a te etiam atque etiam peto. Quòd ſi quoque Antiſtitem iſtic noſtrum in ea ſententia confirmaueris, vt me dignum iudicet, quem in ſuorū numero perpetuo habeat, te magnum in me bene-*

beneficium contuliſſe arbitrabor. Vale. & egregium patrem tuum, Nicolaumq; fratrem meo nomine ſaluta. Ferrariæ.

PACIO SCALÆ I. C. Patauium.

QVANQVAM *vetus amicitia noſtra Paci optime atque doctiſſime, quæ a pueritia tua inter nos inſtituta, mutuis ſemper officijs a nobis culta fuit, hanc litterarum miſſionē vltro citroq; minime requirit: Ego tamen qui tuas libenter legere, ac de te audire aliquid ſoleo, diuturnum hoc ſilentium, quod occupationum noſtrarum non mediocre fuit argumentum, vt nihil iampridem ad te dederim litterarum, nec vllas a te acceperim, amplius faciendum mihi non putaui. Itaque ego, qui nō ita multis impedior curis, vt tu, qui forenſibus in cauſſis verſaris aſſidue, ac in ſubleuandis amicis operam ponis; has ad te litteras dedi, quibus te laceſſerem, vt me de ſtatu tuo, de quo ſcire aueo, certiorem faceres. Nam cum omnis amor ſollicitus atque anxius ſit, ſubuereri interdum mihi uenit in mentem, ne cum tu magnum in negotijs laborem ſuſtineas, tua ſalus tibi curæ ſit. Quem mihi timorem ſi eripueris, magna me profectò moleſtia liberaris. Cur enim de te ſollicitus non ſim, quo nemo mihi amicior, iucundior, cariorq; vnquam fuit, neque futurus*

eſt? Quem amare cœpi ab adoleſcentia, atq; in dies pluris feci, cum is omnia ſua in me ſtudia etiam contuliſſet. Etenim cum te tali ingenio ac indole præditum eſſe animaduerterem, vt te ad ſummum illum honoris gradum, in quo nunc locatus es, aſcenſurũ eſſe minime dubitarem, licet, vt meminiſti, nonnulli aliter ſentirent, quæ ſigna tibi meæ erga te beneuolentiæ non dedi? ſiquidem cõſilio & opera & opibus, donec iſtic fui tecũ, iuui ſemper quoad potui: Tu vero erga me ita gratus fuiſti, vt meam erga te liberalitatem quotidie prouocares. Poſt diſceſſum autẽ iſtinc meũ cum multis ego poſt diebus iſtuc acceſſiſſem, vt te viderem; Tu quoq; ad me, vt occaſio tulit, huc veniſſes, quod officium vterque noſtrum hominis amantisſimi prætermiſit? Ac ſi omnia commemorare velim mutui noſtri amoris indicia, verba mihi deſint. Quare, vt hæc mittam, ne mireris ſi tam auide cupio ſcire quid agas: mirũ enim in modum lætor, cum tibi recte eſſe intelligo, ac vehementer gaudeo, quòd te iſtic habeo, à quo me plurimum amari ſentiam. Quòd ſi à Deo opt. aliquando impetraro, vt in complexum tuum veniam; in qua ſententia cum ſæpe fuerim, nunquam non tamen aliquid impedimento mihi fuit, præclare mecum actum eſſe putabo. Interea non patieris me diutius eſſe in deſiderio litterarum tuarum, quæ me de toto ſtatu tuo erudiant. Quod ſi

feceris,

feceris, id mihi quam gratiſſimum erit. Vale, *ac matrem tuam* Optimam *fœminam meis verbis ſaluta.* Thomas *Sacratus frater meus vtriq; veſtrum multam ſalutẽ adſcribit. vi. Kal. Nouemb.* CIↃ IↃ LXVIII.

IO. BAPTISTÆ SPINELLIO
Sororis filio. s. d. Regium.

NVNQVAM *antea ſenſi* Io. Baptiſta *ſuauiſſime, quanta ſit vis amoris, ſicuti nunc in diſceſſu* Ferraria *tuo:* Nam *ego quidem mihi conſcius eram te à me vehemẽter amari, nec obſcura tibi ſigna dabam (vt opinor) meæ erga te beneuolentiæ; ſed quod igniculum deſiderij tui, dum tu à me abeßes, ferre vix poſſem, planè non putabam.* Quòd *ſi arbitratus fuißem profectionẽ hinc tuam mihi moleſtiam eße allaturum, tibi certè non conceßiſſem, vt à me te ſeiungeres, atque ſegregares;* Verum *ſi iſtuc accedere tibi neceſſe fuiſſet, parentibus vt obedires, maluißem me tibi itineris tui omniumq; actionum tuarum comitem ſociumq; præbere, quàm dũ tuo dulciſſimo conſpectu careo, in tanto mœrore verſari.* Dices, *cur tantopere commoueris, cum ad te rediturus ſim? amor atque ſtudium quo in te inflammatus ſum, mihi crede, ita me excruciat, vt niſi expectatio reditus tui magno mihi ſolatio eſſet, huic ſollicitudini vix reſiſterem.* Quare *da, quæſo, operam, vt ad nos*

quamprimum reuertare, vt tua optatiſſima et iucundiſſima conſuetudine fruar, qui tanta nunc in mæſtitia ſum, quantam eſſe ex his litteris coniectura facile perſpicies: Atque exploratum habe nihil mihi fore longius, quã vt te videam. Plura ad te ſcriberem, niſi mæror omnem mihi in hoc genere facultatẽ adimeret. Itaque finem faciam, cum te uehementer rogauero, vt mei memoriã teneas, & cum tuis ſermonem de me ſemper habeas: Quod ſi feceris, ego me multa conſolatione leniam. Vale, & parentes tuos, quos magnopere diligo, meo nomine ſaluere iube. vij. Kal. Nouemb. CIↃ IↃ LXVIII.

SIMONI CASSOLÆ
Canonico. Parmam.

MAGNVM *certè ex profectione mea ad Synodum prouincialem Rauennaten. fructum cepi Simo doctiſſime, primum quòd contigit mihi te talem virum, tantiſq; non ſolum virtutibus, ſed etiam virtutum inſignibus ornatum de facie noſſe: Deinde quòd, cum de negotijs, quæ ibi tractabantur, vnà cum collegis noſtris Mutinenſibus ac Bononienſibus ageremus, ijſq; præſertim quæ ad munus noſtrum pertinebant, de excellenti doctrina tua & omnium artium ſcientia aliquid deguſtare mihi licuit. Quæ res & amicitiam conciliare, & beneuolentiam coniungere*

gere ſolent. Sed vnum hoc perincommode mihi accidit, quòd cum iam conglutinare voluntates noſtras inciperemus, tum locorum interuallo diſiungi nos oportuit: non enim verebar, ne non tu quoque non mediocrem ex meo erga te ſtudio, propenſoq; animo voluptatem fuiſſes capturus, ſi quotidiana conſuetudine augeri familiaritas noſtra potuiſſet. Cũ vero poſt hac, vt vnà eſſe poſſimus, optare magis quàm ſperare debeamus, quod reliquũ eſt, vt per litteras colloquamur, libentiſſime operam dabo, nec committam vt quod forte quadam diuinitus mihi tributum eſt, id omne negligentia mea penitus effundam. Quòd ſi ſcribendo tibi obſtrepere aliquando viſus fuero, ac forte cogitationes tuas impedire, amoris erga te mei magnitudinem excuſabis: dum has enim litteras ad te dabam, ſic afficiebar, vt tui deſiderio etiam arderem. Nec mirũ hoc tibi videri debet, ſi te ipſum, vt opinor, noſti Simo. Cum enim celeritatis ingenij tui & doctiſſimorum ſermonum tuorum mihi venit in mentem, continuo fortunæ ſubiraſcor, quæ te à me tam cito ſeiunxerit atque ſegregarit. Cum autem concionem tuã, quam in Synodo habuiſti, ac tam uenuſte recitaſti, ut omnibus nedum mihi magnæ fueris admirationi, ſententiarum grauitate eloquentiaq; refertam memoria repeto, amore tui ita inflammor, vt te cogitatione quotidie complectar abſentem. Quare cum excellens

bonum tuum iam in mente mea inſideat, vt amplius effluere non poſſit, ſi ab humanitate tua impetraro, vt me etiam in animum tuum influere patiare, ne te mei capiat obliuio, dubitandum non eſt, quin inſtitutam noſtram micitiam omnibus officijs colamus, eamq; ertatim augeamus. Ego quidem abs te in more minime vincar, vt tute reipſa perſpi-ies, atque cognoſces: Maiorem enim iactuam facerem, ſi in tuenda atque augenda conunctione noſtra negligētior eſſem, quàm tu, cum ego etiam abſens ex maxima tua optimarum artium ſcientia vberrimos fructus, nullos vero tu ex me, qui parum ingenio poſſum, ſis laturus. Tu quoque ſi parem mihi voluntatē reddideris, ſicut tua virtus mihi perſuadet, facile vt credam, plurimum hoc nomine me tibi debere profitebor. Vale, & collegis tuis optimis viris multam à me ſalutem dic. Ferrariæ xij. Kal. Quintil. CIↃ IↃ LXVIII.

EIDEM PARMAM.

ACCEPI *litteras tuas optime Simo, & latine ſcriptas & admodum eleganter; Quæ quam gratæ mihi extiterint, verbis explicare non poſſum: Præſeferunt enim candorem animi & integritatem ſummam, meq; ad crebram ipſarum lectionem inuitant. Et nimirum in quo magis elucere potuit humanitas,*

nitas, ac modeſtia tua, quàm in eo, dum diuturni ſilentij tui rationem reddis? Scribis enim, cum diu grauiterq; æſtu febriq; afflictatus fuiſſes, poſteaquam Dei *beneficio ex eo morbo conualuiſti, partes tuas tunc eſſe debuiſſe, ut ad me reſcriberes, ſed te tot negotia tibi impoſita, à teq; ſuſcepta expedire atque conficere æquum eſſe duxiſſe, cum infirmitate detentus ante non potueris.* Denique *in extremis litteris tuis petis à me, vt quo erga te ſim animo, certiorem te faciam, perinde ac vereare, ne ob taciturnitatem tuam mea ſit in te amando immutata voluntas.* O *manſuetudinem incredibilem.* Quid *enim te mitius, quid dulcius cogitari poteſt? ego vero qua utar excuſatione, qui ſuauiſſimis litteris tuis reſpondere tandiu intermiſerim?* An *ſi me uehementer angi dolore dicam, quem ex grauiſſima matris meæ ac longa infirmitate capio, & affirmem me domeſticis occupationibus diſtineri, vt ad agendum aliquid me applicare non queam, tu facile credas?* Et *tamen in mœrore verſor, quòd interim matris ſolatio careo.* Itaque *ſi proximum chirographum tuum, quod attulit mihi* Alexius Pa*ganutius, non me pupugiſſet, in eo enim petis à me, vt tui memoriam teneam, diuturnior forte fuiſſet taciturnitas mea, non enim fore poſtea deſperaſſem, vt probatam tibi tarditatis meæ cauſſam æqui boniq; conſuleres.* Sed *laceſſitus has ad te litteras dare volui,*

at

vt tu quoque intelligas, me excuſationẽ tuã libenter accepiſſe, neque abs te poſtulare, & expectare, niſi quod commodo tuo fiat, cum eo potiſſimum munere fungaris, quod te raro otioſum eſſe patitur. Nec enim amicitia noſtra, quam certè, vt vides, inter nos concilia uit ſtudiorum ſimilitudo, aliter requirit, quã vt hos ſcrupulos miſſos faciamus. Quare ſi me amabis, vt oſtendis, cum ego te propter eximiam eruditionem, modeſtiſſimosq; mores magnopere diligam atque obſeruem, dubitare non debes, quin à me tuæ excellentis virtutis mentio ſæpe fiat. Interea cum per occupationes tuas tibi licebit, me de ſtatu tuo erudies; Ego autem quotieſcunque ſcribendi occaſio ſe ſe mihi offeret, eam libenter arripiam, operamq; dabo, vt diem illum, quo voluntates noſtras conglutinari paſſa eſt ſumma Dei benignitas, ab obliuione penitus vin dicem. M. Antonius Paganutius Eccleſiæ noſtræ decanus multam tibi ſalutem adſcribit. Ferrariæ. vij. Kal Oct. CIↃ IↃ LXIX.

AVGVSTINO VALERIO
Epiſcopo Veronæ.

CVM *antea præſens iſtic & ex litteris tuis abſens facile perſpexi me abs te vehementer amari, tum proxime, cum tui ſalutandi ac viſendi primum, deinde negotium illud, quod eſt mihi tecum, expediendi, omni-*

no

no atque explicandi cauſſa Veronam veni, tuam in me ſingularem humanitatem ſum admiratus. Quod enim officium prætermiſiſti, quin demonſtrares, me tibi magnopere carum atque iucundum eſſe? Atque, vt ingenue fatear, meam de te opinionem ſuperaſti: Non enim arbitrabar, cum eſſem ego de re moleſta ſermonē tecum habiturus, me abs te benigne auditum iri. Sed animi tui magnitudo, atque tua excelſa virtus in eo maxime enituit, quòd illa, quæ haud iucunda eſſent, te ſapienter ac mãſuete ferre oſtendiſti. Quo tuo facto quid potuit eſſe præclarius atque admirabilius? Non mittam dicere, quòd etiam mihi maiorem nunc, quam antea, tuæ erga me uoluntatis ſignificationem dediſti, & quod caput eſt, eximium & ſingulare tuum erga me ſtudium es pollicitus. Itaque tanta tua erga me benignitate tibi deuinctus ſum, vt etiam ſi officio in te ſingulari ſim, & incredibilem amorem honoremq́; ſicut tua ſumma dignitas poſtulat, perpetuo tibi debeam, me tamen tua in me merita nũquam aſſecuturum putem. Reliquum eſt vt de tuis excellentiſſimis virtutibus honorifice prædicem, quod cũ hactenus ſedulo fecerim, vt omnes, qui audirent, in magnam admirationem traducerem, perſeuerabo tamen in cõmemoratione rerum a te prudentiſſime geſtarum verſari, vt hac ratione quàm gratiſſimus erga te ab omnibus cognoſcar. Tuum

autem

autem erit meam conſtantem erga te voluntatem perinde accipere, boniq; conſulere, ac ſi re ipſa tuæ erga me ſummæ humanitati ſatisfeciſſem, tibiq; perſuadere, cum de multis ſemper benemerearis, qui maiorem tibi gratiam habiturus ſit, quam ego, fore neminem: In eam enim curam, mihi crede, atq; cogitationem aſſidue incumbam, vt tuis me ſtudijs dignum ſtatuam. Vale integerrime Antiſtes, quem Deus immortalis incolumem, ac nobis felicem diu ſeruet. Ferrariæ ij. id. Decẽb. CIↃ IC LXVIII.

EIDEM VERONAM.

IANDVDVM *ad te ſcribere ſtatuerā Antiſtes optime, ne tibi excideret, quantum tibi cultum tribuat Paullus Sacratus tuus. Sed ab hoc officio duæ me res retardarunt, aduerſa primum matris valetudo, de cuius ſalute dies aliquot valde ſuſpenſus fui; Deinde domeſticarum rerum cura, negotiaq; multa, in quibus adhuc valde occupatus ſum. Fecit tamen meum ſummum erga te ſtudium, & amoris & obſeruantiæ magnitudo, vt cũ iſtuc proficiſceretur Franciſcus Gandinus familiaris meus, omnibus rebus poſthabitis, eum ſine meis litteris ad te venire noluerim; Ex quibus cognoſces me nihil magis curare, quam ne mea culpa quicquam de tua erga me beneuolentia detrahatur. Nam cum eam,*

quæ

quæ mihi tecum intercedit, amicitiam magno mihi ornamento eſſe ducam, cuius mihi conciliandæ cauſſam fuiſſe humanitatem tuam agnoſco, & merito reprehendendus eſſem, ſi gratiam ſummi atque ornatiſſimi viri effunderem, a meq; ipſe deficerem, & in te ingratus viderer, ſi omnibus te officijs non colerẽ: A quo quidem cum me longiſſime abeſſe profitear, perſuade tibi me operam daturum, vt amorem erga me tuum quotidie magis prouocem, neque obliturum eſſe unquam illius temporis, quo tanta me iſtic benignitate complectebaris, ac tam liberaliter tractabas, vt omnes qui aderant, incredibilem animi tui manſuetudinem atque comitatem admirarentur, meq; beatum ac felicem reputarent, qui tanta tecum familiaritate coniunctus eſſem. Quæ cũ mihi ſæpe de tua excellenti virtute cogitanti veniant in mentẽ, non committã profectò, vt me hac coniunctione noſtra indignũ iure iudicare poſſis. Interea taciturnitatẽ antea meã excuſabis, et cũ me à moleſtijs aliquãtũ relaxaro, ad ſtudiaq; mea me retulero, in quibus propter occupationes meas verſari hactenus mihi nõ licuit, προβλήματα aliquot adte mittam, de quibus utriq; noſtrum diſſerere neceſſe cũ futurum ſit, litterarũ miſſionem vltro citroq; ſicut Gandinus mihi narrauit, tibi pergratam fore arbitror. Vale Antiſtes humaniſſime. Ferrariæ pridie Kal. Decemb. CIↃ IC LXIX.

PAV-

PAVLLVS SACRATVS
Iulio Canano Epiſcopo Adriæ.

NON *poſſum non vehementer angi Antiſtes optime, cum de aduerſa mea fortuna cogito, perſpicioq́; , quantum ex hac tanta imbrium pluuiarumq́; abundantia incommodi ceperim, quæ tibi viam aditumq́; ad nos veniendi præcluſit: Nam cum ſperarem me multo ſuauius, multoq́; dulcius Dionyſia celebraturum eſſe, quam eos, qui dies noctesq́; huc atque illuc perſonati vagantur, ſi mihi contigiſſet, vt tua optatiſſima conſuetudine fruerer, magna equidem de ſpe decidi. Itaq; totus langueo, nec reperio quod me iam delectare poſſit: Non ludi, qui quotidie hic fiunt, non choreæ, non denique tot ineptiæ meam animi moleſtiam leuare poſſunt, quæ omnia nec mihi narrari facile patior, nedum vt ea conſpicere cupiam. Quòd ſi de te ſemper mediter, te abſentem mente complectar, prudentiã denique, atque integritatem tuam tacitus contempler, nec lenio tui deſiderium; Immo cum hæc ego mecum recolo, maiori quotidie te videndi cupiditate ardeo. Quid autem, ſi diẽ illum, quo me ad amicitiam tuam contuli, & ſermones illos abs te mecum ſuauiſſime ſæpe habitos memoria repetam? Nimirum magis augeam dolorem meum, quòd nunc inuitus, & præter expectationẽ tuo congreſſu careã,*

ex

ex quo vberrimos fructus capere ſoleo. Quare dum in hac cogitatione curaq; aſsidue verſor, nullum aliud ſollicitudinis meæ perfugiũ reliquum eſſe animaduerto, niſi eam opinionem, quam de tua ſingulari humanitate habeo, quòd tu mei abſentis memoriã retineas, ac me magnopere diligas: Quam cum me non fallere putem; clara enim tuæ in me voluntatis hactenus ſigna dediſti, non modica (mihi crede) conſolatione ſuſtentor, caſumq; meum moderatius fero. At ſi hoc quoque acceſserit, vt ad me reſcribas, meamq; hanc de te ſententiam confirmes, profectò litteris tuis efficies, vt cum eas ſemel & iterum ac tertio & amplius legero, te ipſum videre, te alloqui, te demum amplecti mihi videar. Vale. Pontifex optime. Ferrariæ x. Kal. Martij. CIↃ IↃ LXIX.

EIDEM RHODIGIVM.

NON *ignoro iandudum meas fuiſſe partes* Antiſtes *humaniſsime, vt ad te ſcriberem, quam gratum mihi tunc extiterit eximium illud in me ſtudium tuum, atque iucunda fuerit amoris ſignificatio, cum me domi conuenire voluiſti, & interim dignitatis immemor tuæ, dum mihi magnopere faueres, inuiſere hoſpitium meum, vbi me tam imparatum offendiſti, præ pudore vix vt ferrem cõſpectum tuum, huius tui facti magnitudine deter-*

deterritus. At *officium meum in hunc vſque diem diſtulit infirmitas primùm mea, non ignota illa quidem tibi, ſed ad quam acceſſerit quædam ſcabies, quæ me dies noctesq; torqueret;* Deinde *purgationes ipſæ non mediocri mihi fuere impedimẽto (tempus enim purgandi erat opportunum) ne munus meũ exequi poſſem; Quibus, & inedia quoque ita conſumptus ſum, vt macie corpus quaſi extabeſcat;* Verum *illius imbecillitas vires animi retardare minime potuit.* Nam *non oblitus pulcherrimi facti tui, quod in mente iam inhæſerat, ſtatim quid deceret, cogitare cæpi;* Vtrum *vero facerem, an ipſum laudarem, vel tibi de tua in me beneuolentia gratias agerem, certum mihi nõ erat, quod actionem hanc tuam oratione aßequi non poßem:* In *gratijs vero tibi agendis non reperirẽ verba, quibus mihi ſatisfacerem; vtrunque tamẽ paucis perſequi ſtatui, vt me quàm gratiſſimum cognoſceres, ac quanti te facerem perſpiceres. Scito igitur me imprimis magnanimitatem tuam cum* Chriſtiana *illa humilitate, quæ in te potisſimum elucet, valde admirari: ac te ab eo tempore, quo mihi à* Deo *clementisſimo tributum eſt, vt in tuam familiaritatem venerim, tanquam ipſius humanitatis ac morum ſuauitatis exemplar intueri:* Deinde *immortales tibi gratias agere atque habere, quod tot ac tanta in me vnum ſtudia conferas, & virtutes omnes exerceas; meq; in eo for-*

fortunatum exiſtimare, quòd tibi ſapienti ac ornato viro ita gratus ſim, vt nullum hoc mihi demonſtrandi finem facias. Quòd ſi me amare perſeueraueris, ſicut cœpiſti, nec.n. te tui de me iudicij pœnitere eſſet prudẽtiæ tuæ, me in cœlo eſſe putabo. De me autem tibi polliceor ac ſpondeo, me omnia pro virili curaturum, quò tua in me beneuolentia quotidie augeatur. Vale. *Ferrariæ idib. Iunij* CIↃIↃLXIX.

EIDEM RHODIGIVM.

ET *ſi adhuc multa me magnopere angũt atque excruciant* Antiſtes *optime; & in primis diuturna, ac grauis matris meæ infirmitas, quæ me ad litteras, & ſtudia mea referre non ſinunt, neq; priſtinam meam cum amicis per litteras colloquendi conſuetudinem tenere: Cogitanti tamen mihi quanta voluptate quantoq; fructu ex officij intermisſione caream, non amplius differre viſum eſt, quin has ſaltem breues ad te litteras exararem:* Ex *quibus aperte perſpicies me ſæpe rogaſſe fratrẽ tuum, quod vererer ne ob taciturnitatẽ meam aliquid de tuo in me amore vel adeo multum imminueres, vt me tibi excuſare vellet, & meis verbis nuntiare, me cum primũ ex his moleſtijs emerſero, & aliquid otij fuero nactus, longa oratione cauſſã ſilentij mei*

tibi

tibi expoſiturum : In *quo ille ſi mihi morem geſſit , tranquilliore paulò ſum animo ac pacatiore ; non enim quantum tuæ ſummæ virtuti & humanitati debeam, oblitus tibi videbor: ſin vero hoc ſibi munus obeundum eſſe non duxit, tu, quæ tua eſt benignitas, excuſationem iuſtam , quam & pietatis & neceſſitatis habeo , libenter accipies .* A*tque cum* R*iccobono agere non grauaberis , vt eam, quã erga me habere cæpit , voluntatem retinere pergat :* N*ec enim mea culpa accidit , vt in tuenda amicitia noſtra ſim negligentior:* E*iq; meo nomine dicere, me ſcripta eius adhuc nõ legiſſe ; ſed cum in gratiam rediero cum libris meis, quorum vſum menſes iam quatuor dimiſi, ad illius lucubrationes me primam lectionem eſſe adhibiturum .* I*nterea eũ meis verbis ſalutabis .* T*u vt in conſeruanda tua in me voluntate ſis conſtans, ſicut ſuauiſſima natura tua mihi pollicetur, magnopere te rogo atque obſecro.* V*ale.* VI. *Kalen.*N*ouembris.* CIↃ IↃ LXIX.

PAVLLVS SACRATVS
Antonio Riccobono. s.p.d.
Rhodigium.

LEGI *litteras tuas* R*iccobone erudiſſime, quæ mihi admodum doctæ, & elegãtes viſæ ſunt, præterea amoris pleniſſimæ: in quibus, quòd ea mihi tribuis , quæ in me non*

agno-

agnoſco, niſi forte propenſam quandam ad optimas artes voluntatem, palàm oſtendis te Iulij Canani Epiſcopi Adriæ viri omni virtutum genere ornatisſimi auctoritate commotū eſſe, qui quantum humanitate omnibus antecellat, atque ad fouendum eos, quos ſemel amare cæpit, exardeſcat, tu, qui cum multa eū ſæpe communicaſſe ſcribis, perſpicere potuiſti. Sed cum a Poetis & Oratoribus acceperis amorem ipſum à falſo verum non recte dijudicare, tam facile credere debuiſti, præſertim cum ipſe non mediocri me beneuolentia proſequi præſeferret? Equidem ſi contigerit vnquam vt vnà eſſe poſſimus, ex mutuo noſtro congreſſu liquidò cognoſces Antiſtitis illius amorem prodigum fuiſſe, me autē ex animo & vere dicere. Quid enim minus me decet, quam tanta laudum multitudo, quibus me in litteris tuis ornas? Quid etiam optimam naturam tuam, ac ſuaues mores magis indicat, quam cum me ſtudio tuo metiris, atque ea, quæ potius tuæ virtuti debētur, mihi aſcribis? Sed ego te errare, & in hac ſententia pergere tantiſper patior, dum interuallo locorum diſiuncti ſumus: At vereor, ne cum vterque noſtrum ſe in conſpectum dederit, tunc te ex ſuauisſimo illius magni viri ſermone in errorem inductum eſſe ſentias; Lætor tamen magnam tuam eſſe de me opinionē, teq; tibi ſemper conſtare valde cupio. Quòd ad me ſcribis tibi maxime in optatis

eſſe,

eſſe, ut in meorum numero amicorum repona re; Quid? an dubitas quin te in amicitiam meam libenter recipiam? Immo perſuade tibi nihil mihi iucundius uſu venire poſſe, quam ut te amicum habeam elegantisſimarũ nunc tuarum litterarum, ac illius ſapientis ui ri teſtimonio comprobatum, quem retinere etiam conabor, ac quantum in me erit, omnibus offiijs inſtitutam hanc noſtram amicitiã colam, teq; hortabor, ut, qui illius inter nos iungendæ auctor fuiſti, in ipſa ſancte ſeruanda te uinci haud patiare: Denique exploratum habeas uelim me maximo in lucro ponere, quòd tibi carus ſim, ut ſcribis, daturũq; operam, ut tuum in me amorem augeas. Reliquum eſt, ut tibi ſignificem me ex hac noſtra per litteras collocutione tantum uoluptatis capere, ut hoc nomine Antiſtiti noſtro immortales gratias acturus ſim, qui mihi cauſſã dederit huius epiſtolæ, cui me plus, quã te debere profiteor, ſicuti maiorem me ex tua conſuetudine fructum, quam te ex mea perceptũ eſſe poſthac non dubito. Vale. Ferrariæ pridie non. Quintil. C I Ɔ I Ɔ L X I X.

EIDEM RHODIGIVM.

CVM *noſtri Adriæ Antiſtitis aduentũ ad nos appropinquare cognouiſſem, ad extremas litteras tuas non reſpondi, ſtatueram .n. ut cum iſtuc ipſe rediret, meas ad te afferret.*

Sed

Sed mutaui conſilium. Nam cum eum ſalutatum acceſſiſſem, & ille me benigne, vt ſolet, excepiſſet, in ſermonem de te continuo incidit, meq; interrogare cœpit. Quid de Riccobono ſentis? conÿce cetera. Itaque continere me amplius non potui, quin hac tibi epiſtola gratularer, vt debeo, quòd in gratia huius præſtantisſimi viri tantopere ſis, tantiq; ab eo fias. Quod illius de te iudicium adeo tibi honorificum eſſe cenſeo, vt hoc te nomine beatum appellare non dubitem. Verum ſicut teſtificor tibi mirum te in modum ab eo diligi, ita pro meo iure te hortor, vt omnibus officÿs colere tantum virum non deſiſtas, qui cũ valde excellat humanitate, ac magno rerum vſu valeat, tu, qui ingenio & induſtria plurimum potes, quantum ex illius congreſſu fructum ſis percepturus certè non ignoras. Ego quidem, quatenus per occupationes licet, atq; eius quoque negotia patiuntur, miram ſuauitatem ac doctos ipſius ſermones hic guſtare conor: Si vero iſtic habitarem asſiduus (mihi crede) cum eo eſſem: Quod cum deneget mihi conditio ac ſtatus meus, tu, qui ſcis, quãtum ego alterum obſeruem, alterum vero te diligam, curato vt cum vnà eritis, mentio de me non intermittatur. Quod munus hominis amantisſimi à te noſtra ſumma, & vtrinque iam officÿs culta amicitia poſtulat. Vale. Ferrariæ. Pridiæ no. Sextiles. CIↃ IↃ LXIX.

BARTHOLAMEO S. P. D.

VEREOR Bartholomeæ, ne tibi exciderit, quod mihi diſcedens pollicitus fuiſti, te ad me litteras daturum, cum primum domi conſtitiſſes. Non enim adduci poſſum vt aliter de te ſentiam. Nec opinor te vnquam ſerio dixiſse, cum mihi perſuadere volebas me abs te æque amari, atque ſi tibi pater eſſe: Nam tantus (mihi crede) amor paſſus non fuiſset, te tam diuturno ſilentio vti, nec me tuas litteras deſiderare. Sed quod tibi ioco dicebam, te mihi aſſentari, cum tuas eſſe partes adfirmabas, vt me domi ſæpe conuenires, id nunc re ipſa comprobaſti: Nam & mei es oblitus: Quis enim ſecus opinetur? Et hoc aſſecutus es, vt tantum fuiſſe tuum in me ſtudium, ſicut aiebas, perſuaderi mihi non patiar. Ego vero qui te propter tuam eximiam ſuauitatem plurimi facio, diutius tacere non potui. Quid enim dulcius, quid ſuauius, quam cum eo per litteras colloqui, cuius conſpectum abſentis intueri non poſſis? Ac quidem tantũ ſolatij nunc capio, dum ad te ſcribo, vt moderatius tui deſiderium feram. Quo animo ſi tu Bartholomeæ in me fuiſſes, non dubito, quin operam dediſſes, vt intelligerem me abs te amari, & in memoria haberi. Quod officium cum miſſum feceris, nõ eſt

eſt cur me tibi cordi eſſe putem. Quare non te pudeat, quòd tu prior a me prouocatus fueris; verus enim amor dijudicare neſcit, cuius potiſſimum ſit ſcribendi munus. Sed cũ ego his æſtiuis caloribus in ſuburbano meo eſſem, has ad te litteras perferendas curaui, vt quoad fieri poſſet, ab obliuione, quæ forte in animum tuum irrepſit, Paullum Sacratum vindicarem. Quas, ſi me amas, libentiſſime leges, ac tuas viciſſim ad me mittes, quæ me erudiant, quam grata tibi huius meæ erga te beneuolentiæ fuerit declaratio. Vale. Ferrariæ. viij. id. Quintil. CIↃ IↃLXIX.

FRANCISCO PALVDINO Primicerio.
S. P. D.

NON *ignoro Paladine optime meum iam pridem erga te ſtudium tibi perſpectum & cognitũ eſſe; non enim obſcura tibi ſigna ſemper oſtendi amoris erga te mei.* Et *tamen opinor te nunquam adductum iri, vt me ex tuo diſceſſu tanta affici moleſt[ia], credas, vt vllus conſolationi locus vix eſſe poſſit. Sed ſummo certè dolore angor; careo enim optatiſſimo congreſſu tuo, ex quo ipſe noſti, quantos fructus percipere ſolerem, vt quotidie abirem doctior: nec ipſi facile reſiſterem, niſi & ea me ſpes recrearet fore breui, vt te nobis ſaluum atque incolumem reſtituas, & niſi do*

meſticæ curæ meæ, quibus asſidue vexor, animum interdum ab hac cogitatione auerteret. Nam cum mihi in mentem venit me in templo eum non habere, qui cum communicare ſoleo, ac ſuauisſime colloqui, ita crucior, vt, niſi me interpellarent aliquando horæ canonicæ, quemadmodum vulgò appellantur, quas quotidie illic recitare conſueui, ſingulo quoque temporis momento gemerem, nec vllo conſiſtere loco & conquieſcere poſſem. Dices, quid iam te conſolari poteſt? dulcisſimæ, fateor, litteræ tuæ, eæ enim non magnum modo mihi ſolatium afferent, ſed etiam ægritudinem valde lenient. Tu igitur, ſi me amas, vt te facere mihi ſæpe oſtendiſti, nec ſimulas; quanquam tua tot in me officia nullam profectò ſimulationem accipiunt: chirographum tuum ad me mittes, ex quo te mei memoriam conſeruare perſpiciam; Non enim longiorem a te epiſtolā flagitare debeo, quod iure poteſt mihi denegare occupatio tua. Nā & me laborātem magnopere leuabis, & ita reficies, vt æquiore ac moderatiore animo abſentiam tuam ferre posſim. Vale. omnes ferè collegæ noſtri multam tibi ſalutem dicūt. Ferrariæ iiij. no. Decemb. CIↃ IↃ LXIX.

M. AN-

M. ANTONIO MVRETO i. c. s. p. d.

QVANTVM *de tua ſumma humanitate ac ſuauiſſima natura mihi pollicear* Murete *optime atque doctiſſime, ex eo conijcere potes, quòd cum ſcribendi officium iandiu tibi debitum intermiſerim, me tamen excuſare minime velim: id.n. inueteratam iam amicitiam noſtram & multis beneuolentiæ indicijs vtrinque cultam haud deſiderare puto.* Ac *quoq; narratione cauſſarum ſilentij mei ſuperſedeo, quod eas à* Nicolao Thala*mio intimo, ac familiari meo audire potuiſti, ad quem proxime ſcripſeram me in maximis eſſe moleſtijs, præſertim ob infirmam & periculoſam matris valetudinem, eiq; mandata dederam, vt te* Domum *ſalutatum veniret, ac tibi de mea in te fide & obſeruantia incredibili ſponderet.* Quo *igitur argumēto vtar? inanibusne litteris tibi obſtrepam, qui altiſſima, diuinoq; tuo ingenio maxime digna quotidie meditaris?* Tantum *dicam me ex eiuſdem* Thalamij *litteris cognouiſſe, memoriam mei apud te admodū vigere, atq; abs te adeo multa de me prædicari, vt tuus non mediocris in me amor facile perſpici poſſit.* Quorum *alterum me vehementer etiam atque etiam delectaſſe non inficior.* Nam *me beatum eſſe puto, quod in animo tuo inſideam, nec maius*

quicquam abs te tanto viro expectare auſus vnquam fuiſſem. Alterum vero, *vt ea mihi tribuas, quæ ſi in me agnoſcerem, ad ſummam felicitatem profectò nihil addi poſſet, ab abundantia quadam amoris & humanitatis proficiſci, vt, quæ tua ſunt propria, cum alijs communicare velis, nemo eſt qui ambigat.* Quis *eſt enim, qui ignoret per paucos reperiri, qui doctrinam atque eloquentiam admirabilem cum eximia morum ſuauitate comitateq; coniunxerint & copulauerint, inter eos autem te præcipuum eſſe non æque omnibus conſtet? Sed hæc mittam; nã te laudes tuas non libenter audire, immò ab hoc ſcribendi genere animum tuum abhorrere iandiu exploratum habeo:* Et *me præſtantiſſima animi tui bona ac merita tua oratione aut vlla dicendi facultate æquare non poſſe cunctis eſt perſpicuum.* Reliquum *eſt, vt te orem atque obſecrem, ne* Paulli *tui memoriam conſeruare deſiſtas, ſicut tua excellẽs virtus patitur vt de te non dubitem;* Perſua*deas enim tibi velim in te colendo me parem vnquam habiturum eſſe neminem.* Vale *ætatis noſtræ decus.* Alexander Canalius, *qui te plurimum obſeruat, multam quoque tibi ſalutem adſcribit iiij.* Non. Ianuarij. CIↃ IↃ LXX.

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS Paullo Sacrato. s. d.

HERI *accepi à te litteras ſimillimas tui, terſas, nitidas, elegantes, pleniſſimas humanitatis, & ſpirantes omni ex parte beneuolentiam veterem illam tuam in me mirificam prorſus ac ſingularem. Quod excuſatione nihil opus eſſe duxiſti, feciſti, vt amicitia noſtra dignum eſt: ac me præterea leuaſti labore quærendi, quomodo tam diuturnum ſilentium meum apud te defenderem. Nam excuſare te non poteras, quin eadem opera me accuſares. Itaque hoc quoque à te tanquam mea cauſſa factum accipio, indultumq́; mihi à te puto. Thalamius noſter; non enim tibi iam concedo, vt tu eum plus ames, verus, vt video, eſt & diligens internuntius amicitiæ noſtræ. Nam & quoties vnà ſumus, de te propè perpetuo loquimur: & ipſe poſtea litteris ſuis tibi, quæ mea ſit in te obſeruantia, vere accurateq́; perſcribit. Conſtitueram nuper mittere ad te nugas quaſdã meas, ſcholaſticas omnino, id eſt, non ſatis dignas, quæ à te legerentur, ſed quas tamen tibi, vt ſolent mea, placituras eſſe ſperabam. Id poſtea omiſi facere, quia, cuius opera in eis deſcribendis vterer, non habebam. Nunc habeo, qui id commode faciat. Quare expecta propediem à me ingentem faſciculum,*

pro quo vereor ne plus mercedis dandum ſit tabellarijs, quàm quanti ea omnia erunt. Erit *tamen quod rideas vnà cum* Canalio *noſtro, qui mihi, vt debet, hæret in animo.* Quem *tu, mi Sacrate, ſalutabis diligenter meo nomine, & qui mihi beneuolentiam ipſius conciliaſti, idem conſeruabis.* Neſcio *an adhuc reſciuerit* Iacobum Aemilium Belgam, *quē ipſe mihi & præſens & per litteras commēdarat, nuper hic mortuum eſſe.* Plura *ſcribere cupientem impediunt interpellatores, qui mihi plerunque vix ad ea, quæ neceſſaria ſunt, ſatis vacui temporis relinquunt* Bene Vale *Sacrate mi optime, eruditisſime, amiciſſime: & me amare perge xv. Kalend.* Febr. CIↃ IↃ LXX. Roma.

FRANCISCO MORANDO. i. c. s. p. d. Veronam.

CVM *antea tibi multum debebam* Morande *doctisſime officiorum omnium non immemor, quæ iſtic vnà cum* Patre *& fratre in me contuliſti, quæ ſanè multa & magna extiterunt:* Tum *verò, poſtquam accepi epiſtolam tuā vnà cum poemate, quam attulit mihi* Franciſcus Gandinus *familiaris meus, hoc tuo ſingulari in me ſtudio ita me tibi deuinctum eſſe confiteor, vt nulla vnquam ratione tuæ tantæ erga me humanitati reſponderi à me poſſe putem:* Nam *tam excellenti munere*

nere me nec opinantem affeciſti, vt illud quã gratum iucundumq; mihi acciderit, oratione prorſus explicare non queam. Itaque (vt ad elegantiſsimam epiſtolam tuam nunc veniã) ſcito me multum otij nactum eſſe, vt carmina tua legerem: Cur enim omnia miſſa non facerem, quò ſuauitate illa ſingulari perfrui mihi liceret, ad quam percipiendam me tam digna tua lucubratio inuitabat? Sed certè nõ ſemel & iterum aut tertio, at ferè centies ea perlegi, nec hoc contentus, etiam nonnullis collegis meis, & aliquot alijs amicis, qui hoc dicendi genere delectantur, deſcibendi copiã feci, qui vnà mecum & aciem ingenij tui, & tuam in dicendo vim atque facultatem ſuſpicere & admirari cœperunt, nec non grauitatem orationis in cœlum efferre. Et nimirum, quid poemate tuo elegantius, quid acutius excogitari poteſt? cum & caſum illũ ita explices, vt etiam ante oculos ponas, & virtutes ſummi viri, illius præſertim bonitatem, ac magnam religionem ſumma cum eloquentia deſcribas? Quam eandem rem Antiſtitem iſtic noſtrum cum mihi ſignificaueris diligenter & copioſe ita tractaſſe, vt etiam volumen confecerit, ſi modo curaueris, vt mihi polliceris, ad me aliquando perferendum (ſcis enim me optimi atque integerrimi illius viri ſcripta venerari) ad tua tot ac tanta in me ſtudia cumulus profectò accedet. Quòd autem inquis in commendan-

dis ſcriptis tuis me nimis facilem eſſe, perſuadeas tibi velim me non ita propenſum ad laudum tuarum commemorationem ac promptum fore, niſi illud mihi magno merito tuo vſu veniret. Ego enim tam præſtanti carmine abs te prouocatus ſum, vt me verborũ inopem eſſe, parumq; ingenio poſſe doleam, quòd tuam excellentem doctrinam & miram dicendi ſuauitatem ſubtilitatemq;, ſicut deberem, ſatis laudare non valeam: Nam ſi ea orationis facultas, quæ in te ſumma eſt, à Deo mihi conceſſa eſſet, nõ te deſiderare meas litteras, & ea carere voluptate ſinerem, quã te ex illis percipere ſolere ioco ſcribis: Qui enim meus in te amor eſt atque obſeruantia. illius certè magnitudo efficeret, vt occaſionẽ ſæpe ad te ſcribendi non inuitus arriperem, cum eam, quæ mihi tecum intercedit amicitiam & coniunctionem ita magno mihi ornamento eſſe ducam, vt colere omni ratione debeam. Verum cum cogito interdum, quale tuum futurum ſit iudicium, quoniam illud valde extimeſco, facile ab hoc officio deterreor. Nunc tamen cum Gandinus meus iſtuc venerit vt negotium illud conficiat, in quo te ſæpe mea cauſſa & libenter elaboraſſe recordaris, cui etiam mandaui, vt te in primis cõſuleret, & cuius in iuuãdis amicis ſemper eſt prompta voluntas, has ad te dare volui, ex quibus intelligas me pro hac eximia tua in me liberalitate immortales tibi gratias

agere atque habere, optareq́; vehementer, vt te remunerari poſsim quam ſimillimo munere. Quod cum nec à natura mihi tributum, nec vllo labore à me perfici poſſe cognoſcã, tu optimam meam voluntatem perinde accipies, ac ſi re ipſa tibi ſatisfeciſſem. Vale, atque clariſsimum patrem tuum, quem è morbo conualuiſſe, & rectè ſe nũc habere mirum in modum lætor, Itemq́; Nicolaum fratrem tuum, quem propter morum ſuauitatem vnice diligo, meo nomine reſalutabis diligenter Ferrariæ iij. Non. Ianuarij. CIↃ IↃ LXX.

IVLIO CANANO Epiſcopo Adriæ.

QVOD *tam repentè hinc abieris, meq́; tuo dulciſsimo conſpectu nec opinantem improuiſo priuaueris, moleſtiſsimum certè mihi fuit Antiſtes optime; quid enim magis contra voluntatem meam euenire potuit? nec poſſum in hoc fortunam meam non ſubaccuſare, quòd cum bis terue ad te adijſſem, te tamen videre non potui. (familiares tui mihi teſtes ſunt) tu enim iam domo exieras, vt horum principum ſalutationi operam nauares. Itaq; expeditis illis rebus, quæ te huc inuitarant, ſtatim in viam te dediſti, quamplurimoſq́; ſeruos tuos, meq́; in primis, haud ſuſpicantes ſubitum diſceſſum tuum mæ-*

rentes reliquiſti. Ego verò aſpectu tuo inuitus careo, ad epiſtolasq; confugere cogor, ex quibus cognoſces, magnopere me conſolari facti mei conſcientiam; non enim negligentia mea vlla aut culpa accidit, vt te oculis non conſpexerim antequam decederes, ſed nimia diligentia tua: Diem enim cinerum, vt diuina religio noſtra vocat, appropinquare ſenſeras, quo te templo tuo præeſſe decebat: Nam ſi tam breuem hic fore moram tuam arbitratus fuiſſem, nullum profectò diē intermiſiſſem ſine ſalutatione, tuamq; optatiſſimam conſuetudinem abunde guſtaſſem. De qua, opinor, me admonere noluiſti, vt argumentum ſcribendi ad te, occaſionemq; tecum expoſtulandi mihi ſuppeditares, quòd te abeuntem oratione, ac ſaltem uotis proſequi non potuerim; tibi verò me ridendi, quòd ignorantem fefelleris. At ſi, vt ſpero, ad nos redieris, vel ego fortè ſi iſtuc venero, mihi crede, quod & te meminiſſe volo, pudorem penitus dimittam, quo ſæpe ſum deterritus ne te obtunderem, tecumq; aſſidue ero, ut temporis vſuram, qua carui intermiſſis collocutionibus noſtris, plene ſarciam. Vale Humaniſſime Pontifex, ac me amare perge. Riccobonum meis verbis ſaluere iubebis, & opportunitatem nactus ei dices, vt ſuauem mei recordationem habere non deſinat, hoc maximum fore amoris erga me ſui indicium. Nec non Nicoleum doctiſſimum ſalutabis. Ferrariæ

rariæ x. Kalen. Martij. CIↃ IↃ LXX.

ANTONIO RICCOBONO.

VIDI, legi ſcripta tua Riccobone optime, quæ me mirifice affecerunt, ſed in primis lectione illarum litterarum, quas ad Marimpetrũ dediſti, admodum delectatus ſum. Nam etſi communes tibi ſint cum doctiſſimo Nicoleo, te tamen in illis ſcribendis vehemẽtius elaboraſſe, ex genere dicendi perſpicere mihi videor. Itaque, mihi crede, quotidie meam de te opinionem ſuperas. Certiorem autem de hoc te facere diſtuli, quòd ſperabã me à negotijs ita liberum fore, vt ad te copioſe ſcribere poſſem, quid de Riccobono meo ſentirem, quantiq; eum facerem. Verum mea me ſpes fefellit, nam & ſummis occupationibus diſtineor, præterea eo morbo affligor, qui me etiam anno præterito ſæpe detinuit, ne Antiſtitem iſtic noſtrum ſalutarem, quo nunc officio meis verbis fungeris, cum mihi non liceat, ac ſi fortè ei negligentiæ vel obliuionis nomine ſuſpectus eſſem, meam cauſſã ſuſcipies. Nicoleum, quem ob eximias virtutes magnopere diligo, ſaluere iubebis, breuitatemq; litterarum mearum æqui boniq; conſules. Vale.

EIDEM RHODIGIVM.

SCIO te vnà cum Antiſtite iſtic noſtro valde mirari, cur ad binas litteras tuas reſpondere diſtulerim, quæ tanto lepore, tantaq; ſuauitate referta erant, vt me ad ſcribendum prouocare debuiſſent. Sed huius taciturnitatis meæ non vna cauſſa fuit: Nam & tot domeſticis negotijs impeditus ſum, vt à ſalutatione amicorum ſæpe abducar, & ijs moleſtijs nondum ſum vacuus quas quotidie capio ex matris morbo, è quo conualeſcere nō poteſt & ad ſtudia mea quieto & tranquillo animo me referre non poſſum: Denique his ſolennibus ferijs me operam templo aſſiduam nauare decuit, vt nec otij ad legendū quicquam ferè mihi ſuppeteret: Et etiam, quod caput eſt fretus humanitate tua atq; cōſtanti in me beneuolentia, licet ad ſcribendū tardior fuiſſem, non dubitaui, quin mea epiſtola grata tibi atque iucunda futura eſſet. His ego compluribusq; alijs cauſſis hactenus retardatus fui. Venio nunc ad ſuauiſſimas litteras tuas, in quibus quòd meum de tribus lucubrationibus abs te mihi miſſis iudicium exquiris: quanquam totas illas perlegere mihi per occupationes non licuit, Scito tamen, quod ad illud volumen attinet, in quo te aliquot vetuſtiſſimos hiſtoricos ex tenebris eruiſſe conſtat, me obſtupuiſſe, quod cum id

ætatis

ætatis ſis, tot libros euoluere, tam multa legere, nedum colligere potueris, tot labores exãtlare, quos ſuſtinuiſſe te, qui librum hunc tuum peruolutauerit, nemo ſanè nõ miretur. Altera verò lucubratio tua, in qua de arte rethorica doctè multa & ſubtiliter explicaſti, enucleaſtiq́; , non ne miram ingenij tui vim, aciemq́; demonſtrat? Quid de tua oratione dicam, in qua ita ius ciuile laudas, vt, qui illi ipſi fidem habuerit, is à cæteris artibus optimis abhorreat, non ne te in doctrina & facultate dicendi mirum in modum excellere oſtendiſti? Quæ omnia maximam certè admirationem habent; cogitaui enim, ſi is maxime præſtare cenſetur, qui vna in arte ita verſatur, vt excellat, te admirabilem eſſe æſtimandum, qui philoſophiam, leges, hiſtoriam, omnes denique artes cum eloquentia coniunxeris, in ijſq́; ita profeceris, vt imitationi locum vix reliqueris. At fortè inquies, ex litteris quas ad te miſi, an id perſpicere nõ potuiſti, quod tibi nouum nunc eſſe videtur, atque incredibile? cognoui certè: Verum te duntaxat hæc attigiſſe arbitrabar, ijs autem te tantum operæ dediſſe, vt paucos pares habeas, ſuperiorem neminem, nunquam profectò hoc de te ſenſiſſem. Quare, mihi crede, meam de te opinionem prorſus fefelliſti, idq́; effeciſti, vt, ſi antea te dilexerim vehementer, nunc tanto tui amore inflammatus ſim, nihil vt eo fieri poſſit ardentius; magnoq́;

orna-

mento mihi eſſe ducam, quòd mihi amicus ſis tantis animi bonis ornatus, vt nihil in te deſiderem. Vnde omnibus patere poteſt, quantopere Antiſtiti noſtro obligatus ſim, qui conciliandæ inter nos amicitiæ auctor fuerit: Magno enim certè beneficio ab eo affectus ſum. Quòd me hortaris, ut libris noſtris paream, à quibus in aduerſa fortuna medicinam petendam eſſe veteres noſtri duxerunt, gratisſima mihi quidem fuit hortatio tua, ſed non neceſſaria: Nam dulcisſimæ litteræ tuæ ac tua eximia liberalitas omnes ferè moleſtias mihi ademerunt, laborem etiam leuauerunt, quem in lectione librorum tuorum libentiſſime conſumpſi, è qua tantum conſolationis cepi, ut ab illo animi mœrore exolutum me ac liberum eſſe putem. Quòd autem addis facilius accidere poſſe, vt tui obliuiſcaris, quàm vt Paulli Sacrati memoriam deponas. O ſuauisſimū Riccobonum meum. Quid mihi vſu uenire putas, qui ante oculos quotidie habeo admonitores tuos? nunquam tui mentionem intermitto, ſæpe de te prædico, te in oculis fero. Itaque, vt omnia breui comprehendam, tibi etiam atque etiam gratulor de tua excellenti doctrina, & egregijs virtutibus, mihi vero ſummopere gaudeo, quòd cum eo amicitia iunctus ſim, qui me tantopere amet, ac monumentorum acerrimi ingenij ſui me participē faciat. Sed ſi in hac ſententia perſeueraueris, (quod enim ſponte ac iudicio tuo ſuſcepiſti,

id

id tibi magnopere tuendũ eſſe conſtantia tua animiq; magnitudo tibi perſuadet) polliceor tibi me daturum operam, vt nunquam in amore me vincas; at te à me ſuperari demum fateare. Antiſtitem noſtrum meo nomine ſalutabis, & me apud eum in gratia pones, cui etiam affirmabis ipſius memoriam à me cum ueneratione coli. Vale Riccobone doctiſſime. iiij. id. Ianuarij.

CIↃ IↃ LXX. *Ferraria.*

EIDEM RHODIGIVM.

C V M *me non fugiat* Riccobone *optime perſpectum tibi eſſe atque cognitum, eos, qui permultis curis familiaribus diſtricti ſunt, non facile ſcribendi otium nanciſci, præſertim ad uiros doctiſſimos, qualis eſt* Riccobonus: *Non miraberis me litteras ad te dare intermiſiſſe, etiam ſi ab elegantiſſima oratione tua, quam miſit ad me Antiſtes noſter optimus, ad ſcribendum inuitatus eſſem: Non enim putaui ſuauiſſimo ingenio tuo fretus, quod in litteris tuis ſæpe mihi perſpexiſſe videor, in te unquam cadere poſſe, vt tu de me aliquid ſuſpicarere, quod à noſtra amicitia iam veteri eſſet alienum. Quæ mea de te opinio in obeundo munere meo etiam negligentiorem me reddidit.*

Nunc

Nunc vero ijs moleſtijs liberatus, quibus admodum vrgebar, cum ſtudijs in gratiam vt redij, orationem tuam perlegi; Nam effugere non poteram, ſi tuæ morem voluntati gerere debebam, quin meum de illa iudiciũ afferrem. In qua quid magis admirer, an ſtili elegantiam, an ſententiarum grauitatem, explicari a me non facile poteſt. Nam eloquentiam cum prudentia ita coniunxiſti, vt nemo nõ te ſummis laudibus ornet. Dices, opinor, mirum tibi videri, quòd nihil in ea me penitus offenderit; Nonnulli fortaſſe hoc minime probent, quòd tu illius familiæ geſta etiam minima tam copioſe & eleganter perſequare; Ego verò haud reprehenſione dignum id eſſe cenſui, præſertim cum ad eũ orationem habueris, cuius domum totam litteris ac monumentis tibi decorandam eſſe in animum induxeris, cætera ita magnam mihi admirationem attulerunt, vt ad meam de te opinionem multum acceſſerit. Quare Antiſtiti noſtro habeo gratiam, qui tuam lucubrationem ad me perferendam curauit, ex cuius lectione non mediocre ſolatium caperẽ. Tibi verò mirum in modum gratulor, quòd non ex compoſita tantum oratione electis verbis, ſed magna cum venuſtate habita eam es laudem conſecutus, quæ tuæ eximiæ virtuti debebatur, & laborum ac vigiliarum tuarũ fructum quã maximum tuliſti, vt cuncti poſthac de te ſumma ſibi polliceantur; Et

quæcunque

quæcunque tibi propoſita fuerint ſtudiorum certamina, ex ijs te victoriam reportaturum eſſe non dubitent. Perge modo, vt cœpiſti; breui enim fore auguror, vt omnibus in dicendo antecellas. Et quamuis mens tua in altiſſimarum rerum meditatione verſetur, haud patere tamen obliuionem Paulli Sacrati tui in animum irrepere; is enim te tanti facit, quam qui maxime, & quotieſcunque cum Antiſtite noſtro fueris, fac ſi me amas, vt ei de mea erga illum obſeruantia incredibili ſpondeas, ipſiq; affirmes, licet in eo conueniendo fuerim negligentior, dum hic adeſſet, quòd amœnitas ſuburbani mei æſtiuis caloribus me à ciuitate auocabat, me tamen, quem maiori ſtudio proſequar, & à quo me magis diligi cupiam, habere neminem. Quod ſi feceris, velim tibi perſuadeas nihil mihi hoc officio tuo iucundius gratiusq; vnquam fore. Vale. Riccobone doctiſſime. viij. id. Nouemb. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLARVM PAVLLI SACRATI CANONICI FERRARIEN.

Liber III.

PAVLLVS SACRATVS M. ANTONIO MVRETO. I. C. S. P. D.

CVM diu me ſiluiſſe mihi venit in mentẽ Murete eximie, vehementer pudet me tanta in ſcribendo negligẽtia vſum fuiſſe, ut me tanquam minus ſtudioſum tui ac tuorum in me officiorum parum memorem iure reprehendere poßis. At niſi ſingularis humanitas, ac dulcißima natura tua me recrearent, quæ mihi ſpem non modicam oſtendunt fore, vt de tua priſtina in me beneuolentia nihil imminuatur, eſſem in magno timore, ne ex animo tuo penitus effluxißem. Sed quam ceßationis meæ excuſationem habere poſſum, quæ me tibi conciliet? an in terremo

tum,

tum, qui tantã huic ciuitati cladem perniciẽq́; attulit, quiq́; nos magnopere vexauit & quotidie vexat, culpam transferam? At Philippus Sacratus frater meus eam omnino abs te accipiendam eſſe negabit, quòd is paulo ante me litteris ſuis ter admonuerit, vt maximas tibi gratias de illa ſumma amoris erga me tui ſignificatione agerem, cum ampliſsimo patrono tuo eloquentia mirabili perſuaſiſti, vel potius eum impuliſti, vt munus illud nobis ab Epiſcopo Carpentoracti miſſum, quod ipſius familiares in Gazam recondiderant, libenter reſtitueret: Quod præclarum factum tuum fratri meo tam gratum atque iucundum extitit, vt te & amantiorem mei & amiciorem exclamaret a me haberi neminẽ. An ſegnitiem inertiamq́; mihi obſtitiſſe dicã? Vtrumque, mihi crede, magno mihi impedimento fuit. Nam cum ego meditarer, quo potiſſimum argumento vti deberem, vt ſingulari tuo in me ſtudio aliqua ex parte reſponderem, animaduerteremq́; (vt ſoleo) me ad ſummum virum & acri iudicio præditum ſcribere, diutiusq́; in hac cogitatione immorarer, Ecce Terremotus ab omni alia cura animos noſtros ad maximum timorem traduxit, atque in hortos migrare compulit; de quo multa te audiſſe credo. Nec ſtudijs meis vacare mihi licet, quòd ab eo adhuc affligamur, & quis exitus futurus ſit, planè ignoremus. Itaque verùm ingenuè faten-

ti

ti facile opinor erratum condonabis: Non enim hoc accidiſſe obliuione tui, vel meæ erga te obſeruantiæ imminutione vlla exiſtimare debes, quòd alterius quidem teſtes mihi ſint Paludinus noſter, qui iandudum Roma cum veniſſet, me tuo nomine ſalutauit, & Canalius noſter tui ſtudioſiſſimi, quibus cum de te ſæpe mentionem facio, ſermonesq; habeo tua excellenti virtute digniſſimos: Alterum verò ſat ſcio te adduci non poſſe vt credas; non enim te latet iandiu me omnem cogitationem in eo fixiſſe, vt gratiam abs te inirem, meq; in tuam familiaritatem inſinuarem. Quæ cum ita ſint, ignoſce mihi quæſo, ſi iuſtam tibi do excuſationem; & fac ad amorem erga me tuum aliquid potius additum, quàm quicquam detractum eſſe vt intelligam; Nam ſi facilitatem, & humanitatem tuam in hoc etiam exercueris, vt me aliquo litterarum genere in hac calamitate conſoleris, tantum ex hoc pio tuo officio voluptatis capiam, vt omnem timorem abijciam, & exultare lætitia, ac triumphare gaudio incipiam. Vale ætatis noſtræ decus. Ferrariæ x. Kal. Iunij. CIↃ IC LXXI.

M. ANTONIVS MVRETVS.
Paullo Sacrato. s. d.

SCRIPSI nuper iuſſu Cardinalis mei, verſus quoſdam de Tiburis amœnitate. Sed iuſſus eram non multo plures, quàm vi-

ginti

ginti uerſus ſcribere: & ea attingere, quæ in ipſius hortis ſpectatu digniſſima & iucundiſſima uiſerentur. Fudi duabus circiter horis amplius quadraginta, & uix mihi uidebar pauca quædam ex innumerabilibus, quæ dici poterant, delibaſſe. Eos uerſus, cuiuſmodi ſunt, ad te mitto: ſi fortè poſſint animum tuum a moleſtijs tum domeſticis, tum publicis pauliſper auertere. Curas enim uetus dictū eſt, carmine minui. Poteris eos cum Paludino. & Canalio communicare: quamuis enim non ualde boni ſunt, uobis tamen tribus placebunt, quia ſunt mei. Velim etiam eos mittas ad Antonium Montecatinum: etſi enim iudicium ipſius extimeſcere deberem, mihi tamen cognitus amor ipſius erga me timorem leuat. Ego te Sacrate optime & humaniſſime, uosq; omnes, ſed, ne mentiar, te in primis, ut debeo, in ſinu fero: &, quamuis ad te rarius ſcribo, quam ſumma noſtra coniunctio poſtularet, de te tamen ſæpiſſime cogito. Orationum mearum uolumen unum Venetijs excuditur: quod vbi abſolutum erit, ſtatim ad te mittetur. Vale amice optime & ſpectatiſſime. Idib. Auguſt. CIↃ IↃ LXXI.

M. ANTONIO MVRETO
I. C. S. P. D.

LITTERÆ *tuæ quam gratæ atque iucundæ mihi extiterint, quibus non modicā mihi*

mihi conſolationem adhibuiſti Murete *doctiſſime, oratione exprimere non poſſum; non mediocri quidem me affecerunt voluptate. Carmina vero, quæ ad me miſiſti, cumulum mihi gaudij attulerunt. Quid enim eis elegantius, quid ſuauius, quid venuſtius?* Itaque *non ſemel ea legi, ſed ſæpe ac ſæpius perlegi.* Nec *hoc contentus exclamaui.* O *beatum* Tibur, *cui tantum laudatorem habere contigit. Quæ ciuitas huic æquanda eſt, poſtquam ſummus ille* Muretus *eam celebrare cœpit? Nō eſt profectò qui* Mantuæ *aut* Veronæ *inuideat.* Nec *putes me vnum ita iudicare:* Doctiſſimus Montecatinus, *cuius te iudicium ex timeſcere ioco dicis, ita ſentit, de teq; mirabiliter prædicat.* Martellius *noſter optimus atque prudentisſimus te admiratur,* Tiburiq; *maxime gratulatur.* Quid *de* Paludino *dicam? qui vt primùm guſtauit carmina tua, ad te ſcripſit, binasq; litteras dedit, cum adhuc infirma eſſet valetudine, ex cuius litteris illius iudiciū de ipſis perſpicere potuiſti?* Canalius *autem noſter, qui à ciuitate menſem ferè abfuit, quiq; tarditatis mearum litterarum auctor eſt, te eum eſſe affirmat, à cuius diuino ingenio vt quotidie maiora proficiſcantur, expectare cuncti debeamus.* Cæteros *quam plures mitto, quos tuarum lucubrationum participes facere ſoleo, ij enim te in cœlum ferunt.* Deniq; *omnes vna voce fatentur, ampliſſimum* Patronum *tuum tibi plurimū debere, quòd facta*

eius

eius ſcriptis tuis prudentia plenis præclara admodum atque illuſtria reddas. Ego vero *immortales tibi gratias ago, quòd me hoc eximio munere affeciſti, quòdq; exaratos præſertim manu tua ad me verſus tuos miſiſti, vt tuus præcipuus in me amor vel maxime appareat; optoq; talem me erga te præſtare, quem ſæpe & libenter maximis ſtudijs tuis ornes.* Nam *etſi non factis nec re ipſa, at certè animo, ac mirifico tuarum præſtātiſſimarum virtutum cultu tua in me beneficia ſuſtinere conabor* Vale. *Ferrariæ xi. Kal.* Nouembris. CIↃ IↃ LXXI.

AVGVSTINO VALERIO Epiſcopo Veronæ. s. p. d.

QVO *in diſcrimine ob* Terremotum *verſati ſimus* Optime Pontifex, *qui tantam ciuitati huic cladem attulit, vt eius faciem immutarit, & multis mortem intulerit, quiq; quotidie, nocte præſertim nos a ſomno excitare non ceſſat, a multis opinor, audiſti, atque in primis a* Franciſco Gandino *meo.* Sed *in hac communi priuataq; calamitate, ac totius ciuitatis mærore gratias tamen* Deo *optimo, maximo immortales ago, qui tanto me beneficio affecit, vt humaniſſimum* Antiſtitem *meum diuino afflatu ad me conſolandum inflammarit:* Nam *ſuauiſſimis litteris tuis & verborum ac ſententiarum grauitate refertis*

non ſolum mihi præſtò fuiſti, non modicamq; conſolationem adhibuiſti, quæ dolorem meum leuare poſſet, ſed (quod caput fuit) factis ac re ipſa me ita iuuiſti, ut mæſtitiam meam ual de quoque ſubleuaris. Quo quid opportunius hoc tempore abs te fieri potuit, ac tua perſona dignius? Primum enim tuæ ſummæ erga me beneuolentiæ non obſcura mihi ſigna dediſti, deindè tanta benignitate ac liberalitate vſus es, vt cum pro tot tuis in me officijs tibi plurimum debeam, oratione merita tua aſſequi me poſſe diffidam. Itaque, ſi aliquando veritus ſum ne in animo tuo inſiderem, vt tute ſcis, certè mutaui ſententiam, & valde optaui eam in me facultatem eſſe, qua actiones haſce tuas prudentiæ eximiæ plenas ſcriptis mandare poſſem; tam enim libenter hoc fungerer officio, quàm tua præſtantiſſima virtus id poſtulat. Quod cum mihi à natura denegatum ſit, illarum tamen commemoratio me vehementer delectabit. Extrema autem pagella mirum in modum me recreauit, lætitiaq; affecit chirographo tuo. Nam omnē ferè languorem atq; animi moleſtiam mihi abſterſit. In quo cum ſcribis me abs te ex corde, ac vti fratrem diligi, angoremq; hunc meum tibi mecum eſſe communem; ò incredibilem manſuetudinem, ſingularemq; bonitatem tuam; Quis animi tui magnitudinem mira morum ſuauitate cōditam non admiretur? Ego quidem te virum omnibus

vir-

virtutibus ornatiſsimum ſummis laudibus efferre non deſiſtam; & cum omnem gratiarū actionem vincat eximius amor erga me tuus, perpetuam habebo tibi gratiam; nam de illa referenda ne cogitare quidem debeo: daboq́; operam, vt quacunque ratione potero, gratiſſimus abs te iudicer, ac miram tuam in me humanitatē colam memoria ſempiterna. Tu *fac modo vt in ſententia pergas, atque in amore erga me tuo; nullo enim vnquam tempore tibi dubitandum erit, quin maxima obſeruantia tibi reſpondeam.* Gandinum *quoque meum, cui ad te mandata dedi, vt libenter audias, te etiam atque etiam rogo.* Va*le* Patrone *optime. Prid. Kal.* Februarij.

CIↃ IↃ LXXI.

EIDEM VERONAM.

VENIENTI *iſtuc* Gandino *meo has ad te litteras dare volui* Antiſtes *optime: Quanquam enim nullas tuas accipio, magnum tamen ſolatium capio, cum tecum per litteras colloquor, teq́; à me mirifice coli ſæpius tibi repeto. Sed nunc perbreues miſi, quòd is repentinam profectionem iſtuc ſuam differre non potuerit.* Ex *quo de ſtatu meo iniucunda profectò tibi futura pro tuo in me amore audies; ipſi enim mandaui, vt omnia tibi referret;* In *primis autem quantopere cupiam in reficiendis & tēplis & tectis meis*

abs te mihi opem ferri. Qua in re fac,obſe-cro:vt benignitatem,liberalitatem , atq; humanitatem erga me tuam experiar; memoria enim tenes te mihi ſæpe pollicitum eſſe , ſi quod tempus accidiſſet , quo tempore aliqua me moleſtia leuare poſſes ; te commodis meis nunquam defuturum; veniſſe nunc illud tibi perſuadeas velim,mihiq; adeo gratum futurum, ſi tuam inſignem in me beneuolentiam declaraueris , vt ego quoque curaturus ſim , me quàm gratiſſimũ erga te ſemper uti cognoſcas. Da igitur operam vt mea de te opinio me haud fallat ; magno enim me beneficio tuo mirum in modum tibi deuinxeris . Vale Antiſtes humaniſſime ,quem Deus opt.max. incolumem diu ſeruet atque fortunet. viij.id. Maij. CIↃ IↃ LXXI.

IVLIO CANANO
Epiſcopo Adriæ.
Rhodigium.

QVANTA *ciuitatem noſtram moleſtia damnoq; terremotus affecerit , vexaueritq; nos omnes , vt penè ſtupidos reddiderit , non te latet Antiſtes optime ,quippe qui frequentes habuiſti nuncios , à quibus omnia diligenter cognoſcere potuiſti,atque illud quoque,quòd non ceſſet adhuc, immo magnũ nobis metũ quotidie incutere nõ deſinat. Sed in hoc communi,meoq; mœrore magnam in ſuſpicio-*

ſpicionem veni, ne mea negligentia effectũ ſit, ut obliuioni me mandaueris, ac de tuorum numero intimorum exemeris; Cuius rei hoc mihi eſt argumentum vel maximum, quòd tu poſthabita aliquando perſonæ illius, quam ſuſtines, ratione, litteris tuis iocari mecum, meq́; ad dimicationem prouocare ſolebas, interdum etiam doctiſſimum Riccobonum *ad hoc munus obeundum impellere, & quandoque ad amicos tuos ſcribere, ut tuo me nomine ſalutarent, teq́; certiorem facerent, quã recte cum Paullo Sacrato ageretur.* Quo *officio, quod mihi ita periucundum erat atque honorificum, ut ego quoque magno in te amore inflammarer, cum functus non fueris hoc tempore difficillimo, quis aliter arbitretur, quàm ut exueris tuam illam incredibilem humanitatem, ac morum ſuauitatem etiam depoſueris, quas in te virtutes ſemper ſum admiratus?* Nam *ſi tuum priſtinum erga me ſtudium extaret, ac tua in me voluntas mutata non eſſet, dulciſſimas in tanta calamitate litteras tuas a me magnopere deſiderari paſſus non fuiſſes, quæ mihi conſolationem afferrẽt, ac dolorem meum lenirent. Sed ego fortaſſe à coniectura aberro; tu vero tuam in conſeruanda amicitia conſtantiam, in amore perſeuerantiam retines,* Nec *quod tandiu ſilueris, id mei obliuione accidiſſe putare debeo; ſed quòd aut grauiſſima occupatio tua otium tibi denegarit, aut quòd patriæ calamitas adeò te*

torſerit, vt tu quoque hebes vna mecum tibi eſſe videaris, nec animum ad aliquid agendum adiungere poſsis, nedum ad ſcribẽdum. Nam te tot ac tam præclara ſtudia, quæ in me contuliſti, ſæpius a me commemorata velle prorſus negligere adduci non poſſum vt credam. Eſt tamen humanitatis tuæ hunc mihi ſcrupulum ex animo euellere, atque in eum me locum reſtituere, ex quo propter taciturnitatem meam fortè decidi, præſertim cum iuſtam ceſſationis, & intermiſsionis officij mei cauſſam afferam. In quo vel maxime apparebit animi tui magnitudo, quæ mihi ſpem oſtendit fore, vt de tua erga me beneuolentia nihil ſit detractum. Ego quidem valde tibi affirmo nullum ferè diem eſſe, quo in hac ærumna mea tui mentionem non faciam; tanti enim te propter excellentẽ virtutem facio, vt etiam ſi me abs te non amari ſentirem, te tamen perpetuo obſeruaturus ſim, ac nunquã tua in me officia obliturus. Quod reliquum eſt, te rogo atque obſecro, vt Riccobono *ſignificare non graueris me* Ludouici Molini *puero ad eum litteras paulò ante terrẽmotum dediſſe, in quibus meam de illius oratione ſentẽtiam explicabam, nec adhuc ab ipſo reſponſum vllum tuliſſe:* Erit *enim hoc mihi vehementer etiam atque etiam gratum.* Vale. Ferrariæ. *vij.* Kal. *Maij.* CIↃ IC LXXI.

EIDEM RHODIGIVM.

CVM *ego mane, abſolutis iam horis, è templo domum redirem, in foro obuiam mihi venit hilari vultu* Baptiſta Guarinus *vir nõ minus ingenio atq; doctrina, quàm moribus ornatiſsimus, mihiq; multam tuo nomine ſalutem dixit.* Præterea *addidit te ſibi epiſtolam a me nuper ad te miſſam legendi copiã feciſſe, de quo ipſius officio tam grato mihi atque iucundo quaſcunque tũc potui imparatus ei gratias egi.* Cum *autem ab eo fuiſſem digreſſus, gaudere mihi cœpi, mecumq; dicere,* O *ſuauiſsimum atque humanisſimum* An*tiſtitem, qui manſuetudine incredibili & naturæ ſuauitate adductus, non meis vllis in eũ officijs impulſus, ſui erga me amoris omnes ſibi familiaritate coniunctos cupit eſſe cõſcios.* Ac *certè tantis me ſtudijs proſequeris, vt ne cogitatione quidem, nedum oratione illa me aſſequi poſſe confidam.* Itaque, *ſi cui fortè aliquando ingratus erga te viſus fuero, quòd amoris tui magnitudini parum reſpondeam, ita me profectò defendam,* Anti*ſtes meus optimus ſui oblitus extra cancellos egreſſus eſt.* Nam *quid neceſſe erat te talis ac tanti nuncij opera vti ad declarandam tuã in me voluntatem?* Magnam *quoque, mihi crede, ex chirographo tuo voluptatem cepiſſem.* At *uero iungendæ cum egregio viro*

amicitiæ auctor eſſe mihi voluiſti, qui cum me nunquam antea habuiſſe ſermonem fortaſſe cognoueras. Non enim opinor id ea te ratione effeciſſe, vt onus mihi imponeres de maxima tua in me beneuolentia tibi gratias agendi. Quoquo modo autem res ſe habeat, me tamen ſcito eo in te animo eſſe, vt me nũquã tuæ ſummæ humanitatis captura ſit obliuio. Tu quoque ſi mihi ita fauere perſeueraueris, ſicut me tua amicitia dignum, & te mirifice colendo, & tuas eximias virtutes ſæpe commemorando præſtare conabor, non vereor, ne non in tuorum familiarisſimorum numero me perpetuo habeas. Vale Antiſtes humaniſſime. xv. Kal. Oct. CIↃ IↃ LXXI.

SIMONI CASSOLIO Vicario Parmam. s. p. d.

SCRIPSIT *Franciſcus Baleſterius collega tuus ad Vincentium Fantinum item meum, vt mihi ſalutem tuo nomine nunciaret. Quod tuum in me ſtudium quam iucundum mihi extiterit, (oſtendis enim in animo tuo mei memoriam inſidere) his a me litteris tibi ſignificandum eſſe duxi, & hoc quoque, tuæ erga me beneuolentiæ à me mutuo reſpõderi, & ob eximias virtutes te magnopere obſeruari. Quo quidem officio fungi antea cogitaram, ſed terremotus, qui hanc ciuitatem ingenti clade damnoq; affecit, quiq; nos ter-*

torquere uehementer perſeuerat, vt audiſti, ab hac me cogitatione auertit. Itaque cum tu prior hoc amoris indicio me prouocaueris, in quo mira tua ſuauitas atque humanitas nō parum eluxit, ſedulitate me abs te victum eſſe, poſtquam ita caſus tulit, æquo animo patior. Sed magna certè abs te fortunæ gratia habenda eſt, quæ mihi grauis aduerſaria fuit, ne te haud opinantem offenderem: Nā tibi planè demonſtraſſem te amore mihi longe inferiorem eſſe, cum tu virtute ſis multo ſuperior. Non vereor tamen ne non à ſuſpitione negligentiæ me vindicandi aliàs mihi detur occaſio. Tu uero interim perge hac eſſe mente, vt nunquam mei obliuiſcaris, præſertim cum de mea propenſa erga te voluntate prolixè tibi polliceri poſſis; hoc enim maximum mihi ſolatium ac non mediocrem mæroris mei leuationem afferet. Vale doctiſſime Caſoli, ac Franciſcum Baleſtrerium meis verbis ſaluta. Ferrariæ. xi. Kal. Iunij. CIↃ IↃ LXXI.

M. ANTONIVS MVRETVS s. d. Paullo Sacrato.

FECI *nuper neſcio quid verborum de nobili illa victoria, qua Turcæ a noſtris ad Naupactum ſuperati ſunt: tanto hominum cōcurſu, quantum ipſe non facile crediſſem. Quamuis autem res erat nihili, tamen ita*

multi quotidie petebant deſcribendi ſibi poteſtatem fieri, vt ſatius uiſum ſit ſemel quicquid eſſet, librarijs permittere: præſertim cũ magiſtratus populi R. iudicarent id ad ipſius populi dignitatem pertinere. Exemplum unum ad te mitto: quod ſemel inſpectum cum Paludino, Canalio, Iacobo Canano, Antonio Montecatino, ceteriſq; communibus amicis communicare poteris: vt, ſiue placuerit, capiatis ex eo aliquid uoluptatis: ſiue minus, intelligatis tamen, conſeruari à me, ut decet, memoriam ueſtri. Vale Romæ vij. Kal. Ian. CIↃ IↃ LXXI.

M. ANTONIO MVRETO, I. C. S. P. D.

ACCEPI *orationem tuam Murete humaniſſime, eamq; ſtatim legi ſemel atque iterum, quæ ita me delectauit, vt nihil ipſa dulcius ac venuſtius, grauiuſq; vnquam guſtauerim. Feci deinde ſic, vt iuſſiſti, vt illã cum Paludino Canalio, ac doctiſſimo Montecatino communicarem. Quæ cauſſa fuit, vt tardius ad te reſcripſerim, quàm putaram: At Paludini quidem ſenſum ex illius litteris iam percipere potuiſti, qui differre noluit, vt in eundem faſciculum meas adderẽ. Alexander autem Canalius in eadem perſtat ſententia vt ſuam de te opinionem vincere haud valeas, ita enim de te ſentit, vt ni*

hil

hil in lucem ædas licet diuinum, quin ex tuo admirabili ingenio acerrimoq; iudicio maiora quotidie manare poſſe affirmet. Non po*tui vero cum eximio* Montecatino *ſermonem habere, quòd is maximis negotijs diſtrictus ſit, totum enim ſe aulæ dedidit, ad quem cũ miſiſſem orationem, iam ante ab eo perlectam fuiſſe nuntius mihi retulit.* Ego *denique multos viros doctos, ac mihi amiciſsimos feci lucubrationis tuæ participes, qui te omnes uno ore celebrant, & in cœlum efferunt, fatenturq;, quotquot de hac victoria aliquid conſcripſere, qui ſanè permulti ſunt, cunctos abs te in hoc argumento longe ſuperatos fuiſſe;* Ac *meum quidem iudicium, quale ſit audiſti; non enim cogitata mentis eloqui audeo, quòd ſæpe mihi ſignificauit* Canalius *abs te meam præſtantiſsimarum tuarum virtutum commemorationem ferri non poſſe, vt potè a natura tua alienam.* De *tuo tamen in me ſtudio, vt ex omnibus, qui amore ac familiaritate tibi coniuncti ſunt, me potiſsimum elegeris, quem ornares hoc honore, ac tam diuino munere donares, an ſileam? an non maximas tibi gratias agam?* Equidem *cum mihi valde glorioſum ſit te talem, qualem haud ſcio optare neminem, mihi amicum eſſe, eiuſdemq; in me beneuolentiam conſeruari mea multũ referat, & tuis in me meritis ſatisfacere verbis nedum re ipſa non ualeam, ſemper tamen gratiam tibi ſummam habebo dũ*

viuam; & cum cæteris communibus amicis tuæ ſingularis in me humanitatis ac benignitatis prædicatione efficiam profectò, vt iij me dignum iudicent, apud quem tot ac tanta officia collocare perſeueres. Vale ætatis noſtræ decus. Ferrariæ. iiij. no. Februar.

CIↃ IↃ LXXI.

M. ANTONIVS MVRETVS.
Paullo Sacrato ſuo.

PROXIME *cum uellem ad te ſcribere, quàm grata mihi fuiſſent inſitia, quæ tu & Alexander Canalius ad me miſeratis, ita me ſubito multa negotia oppreſſerunt, vt coactus ſim officium illud in aliud tempus reijcere. Nunc igitur vtrique veſtrum gratias, vt debeo, maximas ago, ſimulq; vt, qua vna ratione poſſum, vos remunerer, mitto ad vos exempla duo carminis cuiuſdam mei ad Diuam Virginem Lauretanam: quod vobis, ſi nulla alia re, certè argumento placebit. Verſus ipſi ſi frigidiores videbuntur: tanto iudicare debebitis munus meum accomodatius ad hanc tempeſtatem anni, qua frigus ſtudioſe quærere omnes ſolemus. Quales autem cunque videbuntur, non recuſo quin eos communicetis cum Paludino, Montecatino, cæteriſq; communibus amicis: propè etiam dixi, cum Pigna: ſed audio eum valde ſeuerum eſſe in iudicandis poematis. Et tamen, quia me ab*

eo amari ſcio, ſi vobis videbitur, ſubeamus hoc quoque periculi; cum præſertim, ſi quid in eis parum probauerit, ipſa nos reprehenſio cautiores in poſterum factura ſit. Valde gauiſus ſum, cum audij fratrem tuum Epiſcopũ Carpentoractenſem eſſe factum: qui honos iampridem ſummis illius virtutibus debebatur: neque ei tantum gratulatus ſum, ſed tibi quoque, cum epiſtolam ea de re tuam ad Ioannem Moronum Cardinalem legi: quæ mihi ita elegans viſa eſt, neque hoc tantum, ſed ita grauiter ac ſapienter ſcripta, vt iam tum cœperim eundem tibi quoque dignitatis gradum augurari. Mitto ad te orationem nuper hic habitã a Petro Magno, vt verſuũ leuitas orationis grauitate penſetur. Bene Vale Sacrate mi optime, eruditiſſime, amiciſſime, & me ama. Romæ iij. no. Iulij.
CIↃ IↃ LXIX.

M. ANTONIO MVRETO i. c. Romam.

LEGI *tuum carmen ad Virginem Lauretanam, de quo quid ego dicam, niſi ſummi illius Mureti poema eſſe, cui quenquam æquare non liceat? Itaque ita me delectauit, vt verſus perplures memoriæ mãdauerim, quod Alexander quoque Canalius ſibi contigiſſe mihi affirmauit. Quid autem tot nos lucubrationibus tuis honorandi cauſſam tibi dederit,*

derit, an inſitia, an eximius tuus erga nos amor; nemo noſtrum certè ambigit, quin ſingularis tua humanitas, quæ te impulit, vt quod nos tibi debemus, de eo nobis gratias agas. Quòd ſi fortè inſitia ipſa non nihil etiam te mouerunt, quæ oſtendis tibi grata fuiſſe, certo ſcito nos operam daturum, vt ſingulis annis eundem ſaltem numerum tributi nomine accipias, ne ex animo tuo noſtri memoria vnquam diſcedat. Quod ad mandatum tuum attinet, id ſanè executi ſumus, Alexander enim exemplum ſuum eruditiſſimis illis viris Montecatino, ac Pignæ impertiuit, qui carmina tua eis valde probata fuiſſe mihi nunciauit. Ego vero exempli mei Martellium, Paludinum, cæteroſq; communes amicos participes feci, qui te ita admirantur, vt etiam hoc dicant à diuino ingenio tuo nihil niſi abſolutum perfectumq; proficiſci; quibus libenter aſſentior, lætorq; Muretum meũ, quem in oculis fero, ab omnibus mirum in modum coli, pluri miq; fieri. Illud in extremis litteris tuis, cum mihi de fratris dignitate gratularis, me moleſtia affecit, quòd ſcribis te meam ad ampliſſimum Moronum epiſtolam legiſſe; & eam laudas, quam vt corrigeres & emẽdares, amicitia noſtra & tua erga me beneuolentia poſtulabat. Sed ſi fauente Deo Opt. Max. ad annum Sacrum peruenero, & tu ibi adſis, à te impetrare conabor, vt nugarum mearum Ariſtarchus ſis,

nec

nec tu (opinor) recuſabis, ſi me de tuo in me ſtudio dubitare nolueris. Vale Electus Antiſtes Carpen. Iacobus Sacratus frater meus plurimam tibi ſalutem adſcribit, & quod ei tantum tribuas, quantum ipſe non agnoſcit, hoc tuæ eximiæ humanitatis proprium eſſe ait., de tua tamen in eum optima voluntate maximam gratiam habet. Vale. Ferrariæ xi. Kal. Sextiles. CIↃ IↃ LXXII.

EIDEM ROMAM.

ACCEPI *tres abs te epiſtolas Murete præſtantiſſime, quæ tanta me lætitia affecerunt, vt omnem, quem ex diſceſſu hinc tuo nõ mediocrem ceperam, dolorem prorſus abſterſerint: Eæ enim leporis omnis ac venuſtatis adeo plenæ ſunt, vt te ipſum in illis cõtemplans mente ſemper complectar & oſculer. Itaque cum proxime illius fratris obitu, qui omnia ferè negotia iſtic noſtra gerebat, vehementer affectus fuerim, in lectione litterarum tuarum ita conquieui, vt omnes ſollicitudines, curasq́; , omnem denique mœrorem depoſuerim. Quòd ſcribis neminem mihi abs te præpoſitum iri, quem illius orationis, quam ſuperioribus diebus in ſenatu iſtic publico ad Pontificem habuiſti, participem facias: Quanti hoc tui in me amoris indicium à me fieri debet, & quotidie prædicari? Sed cum tu de ſingularibus tuis in me ſtudijs me* per-

perpetuo tacere magnopere cupias: Non ne *cum tibi pareo, cuius ex voluntate omnia me facere decet, officio meo maxime ſatisfecero?* Vnum *tamen hoc a me non impetrabis vt ſilentio prætereã, quòd ſtatueris in ſcriptis tuis (vt ĩ extremis litteris tuis affirmas) apud poſteros teſtatũ relinquere, quantum me dilexeris; non. n. inſignis tuæ erga me beneuolentiæ ſignificatio id patitur.* Nec *eò dico, quòd mihi perſuadeam me tam propenſam tuã in me voluntatem dicendo æquare poſſe, ſed hac de re eos, qui vtrique noſtrũ maxime amici ſunt (vt fratres mittam) celare non queo, quin te mihi admodum fauere intelligant, qui vt fortè me ambitionis arguant, quòd te mei ſtudioſum eſſe gaudeam, illud quidem affirmare non poterunt, vt hoc meæ erga te obſeruantiæ, meiſq; in te officijs a te debitum mihi eſſe arrogem, ac non totũ eximiæ, præſtantiq; naturæ tuæ acceptum referam.* Quorum *è numero cum præcipuus ſit* A*lexander* Cana*lius noſter, qui eſt & mearum cogitationum & conſiliorum particeps ac ſocius, eum ſuauitate litterarum tuarum priuare fas eſſe non putaui, quippe qui totus nomini tuo valde addictus eſt, vixq; mihi concedit, vt ſe in te colendo vincam.* Ex *cuius litteris cauſſã tarditatis meæ in ſcribendo iam cognoſcere potuiſti; ſicut ex ijs, quas ad eum miſiſti, te abundãtia quadam amoris ea mihi attribuere perſpexi, quæ cum in me perexigua, in te vero*

ſumma

ſumma ſint, a me tamen narrari minime pa-teris. Sed A*lexander (credo) cauſſam meam tuebitur.* Nunc *illud exploratum habeas velim,* E*dictum illud pontificium, quod ad me pro tua liberalitate miſiſti, valde mihi gratum extitiſſe, cui ut obedire aliqua ex parte valeamus, diuinum nobis auxilium vehemẽter expetendum, atque implorandum eſt: Nã, ut illud nos in hoc mundo vitam degentes, atque aſidue verſantes penitus exequamur, vix optare debemus.* Tu *ut me tua gratia fouere pergas, magnopere abs te peto.* Vale. Ferrari*æ.* Prid. Kal. Nouẽb. CIↃ IↃ LXXII.

ANTONIO RICCOBONO Patauium.

NON *queo ſatis mirari* Riccobone *doctiſſime, quid cauſæ fuerit, quòd orationẽ abs te in* A*cademia* P*atauina, ideſt in frequenti hominum cœtu de victoria habitam, quã* Imperatores *noſtri ex immaniſſimo chriſtiani nominis hoſte nauali bello reportarũt, ad me nõ miſeris, præſertim cum tuas omnes lucubrationes, poſtquã tecũ amicitiã iunxi, mihi ſemper impertiueris.* An *fortè mihi ſubiratus es, quòd uel tuæ longiſſimæ epiſtolæ, in qua te excuſabas, cur tardius ad me reſcripſeris, nõ reſpõderim, vel tibi de inſignibus doctoris, quæ iſtic magna cum gloria adeptus es, non gratulatus fuerim?* Tertium *nõ reperio, nec cogitatione aſſequi poſſum; Sed ſi huiuſmodi rationibus addu-*

adductus mei oblitus es, non is es, quem tuæ mihi litteræ declarabant: Nemo enim eſt, qui ſi eas legat, te fortem, atque in tuenda, colendaq; amicitia conſtantem ſtatim non iudicet. Sin autem tua erga me immutata eſt voluntas, quòd cũ vtrunque à me expecta res, neutrum præſtiterim, an à me diligentiã requiris, cum tibi negligenti ſine vlla reprehenſione mea eſſe licuerit? ſeruantur, mihi crede, apud me litteræ tuæ, ex quibus facile conijci poterit, an te æquum mihi præbeas, qui te imitatus ſim. Nec aggredi nunc ad dicendum volo, quot quantiſq; ego quoque occupationibus ſim diſtrictus, cum vna tantum præter cæteras me maxime à ſtudijs meis abducat, quòd ædi ſacræ quotidie viſendæ adeo addictus ſum, vt hoc ſine crimine, detrimentoq; prætermitti officium minime poſſit. Hæc tamen ratio impedimento mihi non fuit ad ſcribendum; nam etiam tantum temporis nactus fuiſſem, vt amori noſtro ſatisfacerem. Sed, vt verum ingenue fatear, primum non putaui mihi neceſſe eſſe ad te ſcribere, quòd tu tunc ad meas reſpondere deberes, ac diuturni ſilentij tui rationem reddere. Deinde cum certiorem me faceres te doctorem in Academia Patauina creatum fuiſſe, teq; optaſſe vt iſtic adeſſem, hoc tuum factum fortè alijs, qui te non optime nouerant, mihi non admodum mirabile uiſum eſt; multi enim, vt inquit Cicero noſter, hæc inſignia

virtutis

virtutis etiam ſine virtute aſſecuti ſunt, & nos quotidie re ipſa experimur, pleroſq; ad hunc gradum perueniſſe, qui nec recte nec diſtincte legere ſciuerint, ne dum ius Cæſareum Pontificumq; probè calluerint. In te vero exquiſitam doctrinam, ac liberalium artium ſcientiam ſemper admiratus ſum, poſtquam ſcripta tua legere cœpi, vt hæc ornamenta non magnopere (meo quidem iudicio) abs te deſiderari opus fuiſſet. Quæ tamen cum tu ad præclaras virtutes tuas addere volueris, quò vulgi opinionem ſequereris ac leguleiorum, vt ais, audaciam frangeres, tuū quidem conſilium laudaui, tibi vero vt gratularer, hoc fore ſuperuacaneum exiſtimaui, Academiæ potius illi gratulari debuiſſem, cui contigit te talem habere; ex cuius praſtātiſſimis virtutibus magno ipſa honore afficeretur. De qua re multa dicere mitto, ne tibi aſſentari uidear. Venio ad id quod me maxime angit, audeóq; diuinare cauſſam tuæ immutatæ voluntatis eam fuiſſe, quòd cum à clariſſimis illis viris in collegium eorum doctorum, qui publice Patauij legunt, fueris cooptatus, ac Robertello in tradenda arte rhetorica ſucceſſeris, omnem operam tuam, cogitationem, induſtriam, mentem deniq; omnem in eo negotio ita fixeris atque locaueris, vt omnes forſitam amicos tuos, dū laudis ſtudio traheris, atque gloria etiam duceris, mandaueris obliuioni, me autem in primis, quem ne

bene-

de facie quidem noueras, ex animo tuo penitus eieceris: Vix enim adduci poſſum vt aliter credam: Nam te non præterit, ſi ad me orationem tuam miſiſſes; quanquam valde extimeſco iudicium tuum, me tamen tanquam à ſomno excitatum ad te litteras daturum fuiſſe, in quibus & tibi gratias agerem, quòd tãtum in me ſtudij contuliſſes, & meam, qualiſcunque ipſa fuiſſet, ſententiam aperirem. Verum fortaſſe erro, nec Riccoboni mei ſuauiſſimum noſſe ingenium videor. Habebo quidem tibi maximam gratiam, ſi me ab hac ſuſpicione liberaueris, miirumq; in modum lætabor, ſi me adhuc in animo tuo inſidere intellexero ex litteris tuis, quæ mihi ita gratæ erunt, vt eas legendo omnem moleſtiam diluam, & in earundem ſuauitate valde acquieſcam. Vale. vi. Non. Maij. CIↃ IↃ LXXII.

IO. MORONO CARDINALI.

ET *ſi tua ſumma prudentia ſapientiaq;, ac ſingulare iudicium in adminiſtranda Repub. Chriſtiana ſemper ita enituit, vt maximam ex ea re gloriam ſis conſecutus, nec immeritò vna omnium voce quotidie celebreris; Nunquam tamen, opinor, vlla in re ſic eluxit animi tui magnitudo atque incredibilis tua humanitas, ſicuti nunc in ornando fratre meo; Quem tanto beneficio affe-*

ciſti,

ciſti, poſtquàm & ſponte & ſtudioſe curaſti, quò ille Epiſcopus crearetur, vt nemo nõ obſtupeſcat, cum intelligit te inter tot nobiles virtuteq; ornatos viros, quibus ſtipatus es, ſerui abſentis uiuam tenuiſſe memoriam, ac talem tui erga eum amoris ſignificationem dediſſe, qualis omnibus inaudita ac inſperata fuerit. Ego quidem ingenue fateor, quemadmodum hoc tuum præclarum, atque diuinum factum maximeq; dignum, quod ſcriptis mandetur, admirari non deſino, ſic nullo vnquam tempore in cogitationem meã cadere potuiſſe. Quis enim arbitratus fuiſſet te tantum virum, cui quenquam comparare, ne dum anteponere nemo audeat, familiæ Sacratæ ita rationem habere, vt tali eam dignitate honeſtare ac decorare volueris, & quò magis ſummum tuum ſtudium extaret, non veritus ſis cum ampliſſimis viris contendere? Quod cum præter omnium opinionem acciderit, tu quoque haud miraberis, ſi nullum unquam tempus intermittemus, quin preſtantem beneficentiam tuam erga fratrẽ, nosq; omnes, & animi altitudinem prædicemus, ac ſi in hac cogitatione quotidie verſabimur, quomodo de tantis tuis in familiã noſtram officijs animo ſaltem erga te quàm gratiſſimi eſſe cognoſcamur: Cum partes noſtræ ſint ita nos gerere, vt omnia tua in nos ſtudia contuliſſe te nunquam pœniteat. Quare omnem, mihi crede, operam nauabimus, cũ tu id

bene-

beneuolẽtiæ ſignum oſtenderis, quod nec obliuione deleri, nec ex animo euelli vnquam poſſit, vt non ſolum in mentibus noſtris infixũ, altiusq; impreſſum eſſe perſpicias, ſed etiam vt poſteritas noſtra omnium ſæculorum huius facti tui tam egregij, tamq; illuſtris immemor non ſit, & intelligat quantum ampliſſimo & celeberrimo Morono *à nobis debeatur. Quæ omnia cum perfecerimus quanquam ne minimam quidẽ tuorum in nos meritorum partem aſſequemur, cum hoc cogitare non liceat, ſperamus tamen fore, cum tu domum noſtram hac tua eximia in nos liberalitate deuinctam teneas, vt benignitatẽ quoque tuam ac ſingularem humanitatẽ exercere, ac nos tibi addictos obſtrictosq; propenſiori tua in nos uolũtate complecti pergas, & in tuorum numero intimorum habere. Quod cùm excellens atque illuſtris natura tua nobis pollicetur, tùm generoſa virtus cõfirmat. Nos vero orare atque obſecrare Deum Opt. Max. non ceſſabimus, vt pro ſua diuina bonitate atque clementia omnes tibi actiones tuas fortunet, teq; ſaluum atque incolumem diu ſeruet, quò rempub. chriſtianam, ſicut hactenus præclare feciſti, iuuare valeas, ac de tuis familiaribus tuiq; ſtudioſiſſimis quotidie benemereri perſeueres. Vale. Ampliſſime Patrone. Ferrariæ. iij. id. Iunij.*

CIↃ.IↃ LXXII.

HO-

HORATIO MORONO S. P. D.

VT ego primum ex litteris Antonij Lõbardi cognoui te illam elegantiſsimam epiſtolam & grauem ſcripſiſſe, quam cum ad me daret ampliſsimus, ac omni laude cumulatus patruus tuus, adeo mihi fauit ſtudiumq; ſuũ erga me ſignificauit, ut hoc nomine me perpetuo ei addictum fore profitear: Deinde à Philippo fratre admonitus ſum te non ſolum latinarum ac græcarum, ſed ſacrarum etiam litterarum valde ſtudioſum eſſe ſenſi amore tui me ita captum eſſe, vt teneri non potuerim, quin his litteris apertius hoc tibi declararem: Ex quibus illud quoque perſpicias velim me, ſi vnquam aliàs, hoc certè temporis momento animaduertiſſe, quàm magnam vim habeat ad coniungendam amicitiam, quamq; attrahat & alliciat ad beneuolentiã ſtudiorum ſimilitudo. Quibus cum ab ineunte ætate operam dederim, in illis autem quòd non multos progreſſus fecerim, non quidem voluntas, ſed ingenij imbecillitas me impedierit, tu uero, vt ex hac epiſtola tua ac ſermone fratris coniecturam facio, in ijs ita verſatus ſis vt iam excellas: non poſſum eam, quam in te iuuene nobiliſsimo conſpicio, egregiam ac præclaram indolem ſummis laudibus non efferre: Qui cum te talem iã

præbeas, qualis a maioribus tuis, ab ampliſſimo in primis Patruo tuo nunquam degeneraturus ſis, ſed in quo potius effictam & expreſſam vitæ, morumq; atque uirtutum illius tanti viri imaginem quotidie videamus, quis te non iure ſuſpiciet, & ea potiſsimum ratione in cœlum non tollat, quòd cum id ætatis ſis, eloquentiam cum prudentia iunxeris? ac præſertim, quòd, vt audio, ad tuas excellentes virtutes mira ſuauitas affabilitasq; etiam accedit? Ego quidem te ita admiror, tantiq; facio, vt ad ſummam meam erga te obſeruantiam vix addi poßit. Quòd ſi tu quoque in amore mihi reſponderis, vt tua nobilitas ingenuitasq; poſtulat, non uereor ne non ita mihi tecum amicitia iuncta ſit, vt conſtans ac perpetua futura merito iudicari posſit, ſi modo mutuis eam officijs coluerimus. In quo me longe inferiorem fore non dubito, cum iſtic magnus tibi campus futurus ſit multa tuæ erga me beneuolentiæ indicia oſtendendi; Quanquam hoc abs te tantum petam, præterea nihil, vt me apud ampliſsimum patruum tuum in gratia ponas, quem vnum mihi mirifice colendum, uenerandũq; propoſui. Quod ſi, ut ſpero, impetraro, maiori, mihi crede, abs te beneficio non modo affici nunquam potero, ſed omnes etiam diuitijs ſuperabo. Ego autem talia animi erga te gratisſimi ſigna dare tibi conabor, vt à me tuæ ſingulari humanitati admodũ ſatisfactũ

fuiſſe

fuiſſe inficiaturus non ſis. Vale. *Electus* An *tiſtes Carpentoraclen. Iacobus Sacratus frater meus multã tibi ſalutem adſcribit.* Ferrariæ. *Prid. id. Quintil.* CIↃ IↃ LXXII.

AVGVSTINO VALERIO Epiſcopo Veronæ. s. p. d.

CVM *proxime Gandino meo litteras ad te dediſſem humaniſſime* Antiſtes, *ſcriptas vernacula lingua, in quibus tibi narrabam, quo modo res meæ ſeſe haberent, nec non tuum auxilium implorabam, is vt rediјt, non ſolum te meis moleſtijs commotum eſſe, & permulta ei ſigna oſtendiſſe tui in me amoris mihi expoſuit, ſed illi quoque mandaſſe, vt meæ petitioni tuo nomine ſatisfaceret: quod ipſe ſanè diligenter executus fuit.* Itaque *tua ſingulari erga me benignitate liberalitateq́; ſcito ita me recreatum fuiſſe, vt magna ſollicitudine leuatus ſim.* Quantum *vero gaudium ex præclaro facto iſto ceperim, quantaq́; lætitia exultare debeã tanto à te beneficio affectus, tu, qui mei patrocinium ſuſcepiſti, pro tua prudentia iudicabis.* Nec *velim arbitrere me ita ſentire, quaſi tuam in me humanitatem aliàs nõ agnouerim, quæ in te adeo elucet, vt te omnibus, nedũ mihi, qui eo nomine tibi iandiu addictus ſum, amabilem reddat.* Sed *quòd tam opportuno tempore, dum in maximis diffi-*

cultatibus verſarer, non mediocri erga me animi propenſione præſto mihi fueris, & me tuam beneficentiam deſiderare nolueris, hoc vix mihi contingere poſſe putabam. Quare non mea me quidem de te feſellit opinio, ſed tu eam longe viciſti, vt ſi vnquam antea me abs te diligi ſenſerim, nunc vehementer amari perſpiciam, meq; tanto viro cordi eſſe glorier. De quo quid poſthac ſperare non debeam? cum præſertim Gandino meo meis tibi verbis ioco referenti me coactum iri apud te eſſe, quò omne hoc difficile tempus traducam, prompte reſponderis, vtinam ad me accurrere in animum ipſe induceret, nõ libẽter modo eum acciperem complecterérq;, ſed ad ſacerdotium quoque eligerem. Quo dicto quid ſuauius, quid amantius, quid denique dulciſsima natura tua potuit eſſe dignius? Sed id profectò ex animo meo nunquam excidet, & quotieſcunque mihi in mentem venerit, toties animi tui magnitudinem in memoriam reducam; Quam ſi tu in me ornando exercere perſeueraueris, ego contra tibi oſtendam nullam eſſe tantam gratiam, quam non capere animus meus in accipiendo, vel cumulando illuſtrare poſsit. An fortè dubitabis, ne mea prædicatione ac tui nominis commemoratione aſſequar, vt homines intelligãt quam gratus erga te ſim? Non patiar profectò, quoad hac luce frui, ſpiritumq; ducere mihi licebit, vt officium meũ

deſi-

deſideres, & efficiam vt te à me tantopere fieri, ac mirum in modum coli lætere. Vale Antiſtes optime. Ferrariæ xij. Kal. Septeb. CIↃ IↃ LXXII.

M. ANTONIO MVRETO
I. C. S. P. D.

SCIO *partes meas fuiſſe pro noſtra veteri amicitia, vt te de morte ampliſſimi patroni tui conſolarer, quamuis non ignorarẽ in te ſatis eſſe animi conſtantiæq́; vt aduerſa fortiter ferres; Sed in eo ſtatu eram, vt ego ipſe conſolatione non mediocri egerem: Quantum enim dolorem acceperim ex obitu Philippi Sacrati fratris mei, in cuius amore magnopere conquieſcebam, tu in primis qui eum noſti, exiſtimare potes: Nec illud me angit ſolum quòd fratre priuatus ſum, ex cuius humanitate & optimis moribus omnia mihi iucunda accidebant, verum etiam quòd eo careo, qui apud te me in gratia ponebat, vt ſi quando in colenda amicitia noſtra negligentior fuiſſem, me tibi adeo excuſaret, vt pro tua ſingulari humanitate ac benignitate nihil de tua in me beneuolentia imminutum eſſe videretur. Quid autem ſi adhuc viueret? non ne in hoc grauiſſimo caſu tibi affuiſſet, à me quoque admonitus, atque coràm quãti te faceret declaraſſet? Quæ illius officia quàm grata ac mihi accepta eſſent, ego, qui*

tuam familiaritatem ſemper appetiui, ſum mihi ipſi conſcius. Quare ſi tibi parua nunc amoris atque obſeruantiæ erga te meæ ſigna dediſſe videor, quamuis exploratum haberem te tanti viri iacturam æquo animo & ſapienter ferre, domeſticum tamen dolorem meum ab hac cogitatione me hactenus auocaſſe exiſtimes uelim; cui ut tuis ſuauißimis litteris aliquam medicinam adhibere velis, ex quibus intelligam quoque te uoluntatem eam, quam erga me ſemper habuiſti, retinere, nec ob taciturnitatem meam immutatam eſſe, ijs legendis maxima certè conſolatione afficiar. Denique ſi me certiorem feceris quid agas, quidq; acturus ſis, magnum te in me beneficium contuliſſe putabo: de tuo enim ſtatu ſcire aueo. Vale ætatis noſtræ decus. Ferrariæ. ix. Kal. Februarij.

CIↃ IↃ LXXIII.

EIDEM ROMAM.

IAM *ſcripſeram ad te* Murete *doctiſſime; ac litteris meis tibi ſignificaueră, quo in deſiderio eſſem de tuo ſtatu intelligendi, cum mihi allata eſt oratio tua, ex cuius lectione tantum voluptatis cepi, quòd erat* Mureti *illius celeberrimi viri, vt me ſatiare non potuerim. Sed nuncius ille litteras tuas mihi non reddidit, quod mihi fuit ſummæ occupationis tuæ argumento; Non enim ſoles aliquam*

quam ad me lucubrationem mittere ſine aliqua ſaltem breui epiſtola tua: Quam certè expectabam, vt, qui tuus ſtatus eſſet, ex ea cognoſcerem. De inſitijs neſcio quid dixit, ac vt promiſſa patrarem, in memoriam redegit. Quæ admonitio magnum (mihi crede) nobis riſum mouit (aderat enim & Canalius, cum hæc tuo ille nomine nunciauit) nec eum tenere potuimus; oſtendis enim te dubitare, ne te obliuioni mandemus; cum contra conemur nos, omniaq; moliamur, ne ex animo tuo effluamus. At nos quo nam pacto ex memoria Muretum deponere poſſumus, cuius mira ſuauitate antea ſumus delectati, & nunc quotidie de illius ſingulari virtute ſermonem habemus? Ego quidem & Canalius, cum de te mentionem facimus, ita afficimur, vt te abſentem perinde ac præſentem animo complectamur. Et cum non liceat nobis tuo dulciſſimo conſpectu frui, qua maiori poſſumus delectatione perfundi, quã cum de te iucunda audimus, aut non nulla diuini ingenij tui monumẽta legimus? Quod vt nobis ſæpe uſu ueniat, ad Kal. Aprilis inſitia ad te mittemus, quæ quotieſcunque guſtaueris, & teſtatum apud te relinquant quanti te faciamus, & memoriam nominis noſtri renouent. Reliquum eſt, vt certo ſcias hanc vnam in animo noſtro verſari cogitationem, vt gratiam à te ineamus, teq; ad ſcribendum prouocemus. Quod ſi abs te impetra

uerimus, poſtquam ampliſsimo patrono tuo orbatus es, vt nos certiores facias, quæ tuæ vitæ ratio futura ſit, an libera, an ampliſsimo alteri addicta, ita nos tibi deuinxeris, vt tui prorſus ſimus. Vale. iij. no. Febr. CIↃ IↃ LXXIII.

EIDEM.

MIROR *cur tandiu ſileas, nihil enim de te audio, nec lucubrationem vllam tuam lego, & in quo ſtatu ſis, quod mea multum ſcire refert, adhuc ignoro: A*n *fortè mihi ſubiratus es, quod penſionem non ſoluerim? non enim te puto expectare meas litteras, cũ poſt obitum ampliſsimi patroni tui binas ad te miſerim, ad quas nunquam reſpondiſti; A*n *vero cogitationes maximæ atque ita graues verſantur in animo tuo, vt hæc noſtra minime cures?* Nam *te aliquo morbi genere laborare non arbitror, tu enim is es, quem cum omnes admirentur, nonnulli amici mei de te, ſi quid pericli eſſet, ad me perſcriberent.* I*taque cauſſam, quæ te a me abalienarit, ſiue te hoc perpetuo ſilẽtio vti tibi perſuaſerit, cum diuinare non ualeam, nec artem hanc profitear, ſtatui his te litteris laceſſere, ſi forte tuas eliciam, ex quibus cognoſces me valde mæſtum eſſe, quòd vereor ne eum quem ſemper mirifice colui, atque admiratus ſum, mihi immutatum eſſe intelligã.*

Sed

Sed tu, qui humanitate excellis, ſi eadem es qua ſoles erga me uoluntate; nec enim aliter de te ſentire debeo, vel ſi quid in te amoris reſidet, ſuauiſſimis litteris tuis omnem hanc animi mei mæſtitiam penitus abſterge. Et *quid agas, quid ſcribas, quid a me agi velis, ut tuam in me beneuolentiam tuear, mihi ſignificare non grauere.* Vale. Ferrariæ. iij. id. Octobr. CIↃ IↃ LXXIII.

M. ANTONIVS MVRETVS Paullo Sacrato. s. d.

RESPONDEBO *breuiter ad eas litteras quas a te iij.* Idus Octobris *datas nudius tertius accepi.* In *quibus illud primum admiratus ſum, quòd veritum eſſe te ſcribis, ne tibi aliqua de cauſſa ſubiratus eſſem, neue mea erga te immutata eſſet uoluntas.* Tibi *ne ego, mi Sacrate, ut iraſcar? aut quidquã unquã ulla de cauſſa ex meo in te ſummo amore, aut, vt uerius dicã, obſeruãtia immi nui patiar? At perdiu nihil ad te litterarũ dedi.* Primum, *non ſatis magnum argumentum: præſertim cum poſt eas quas ad te ultimas dederam, nihil omnino a te accepiſſem:* Sancte *enim tibi adfirmo poſt* Hyppolyti Car*dinalis* Ferrarienſis *obitum nullas ad me litteras tuas perlatas eſſe, niſi eas ad quas nunc reſpondeo:* Et *ego tamen ad te menſe, vt opinor, ianuario ſcripſi, miſiq; eam oratio-*

nem, quàm Karoli regis nomine ad Pontificem habueram. Itaque tu uide ad quem illas alias miſeris, aut cui eas inſcripſeris. Certè enim mihi redditæ nõ ſunt. Deinde quiduis te potius, quàm id quod ſuſpicatus es, oportuerat ſuſpicari. Sed ecce tibi vix ad te ſcribere ingreſſus ſum, & auocor: & iam multa nox eſt. Pudet hoc ad te ἀτελὲς epiſtolæ principium mittere: Sed tamen hoc malo, quàm nihil. Propediem & ad te ſcribam, & neſcio quid orationis, quod a me nuper habitum eſt, mittam. Mi Sacrate ama me & Vale. Canalio noſtro plurimam ſalutem. Romæ prid. Kal. Nouembr. CIƆ IƆ LXXIII.

IVLIO CANANO Epiſcopo Adriæ. Romam.

SOLENT *illi Antiſtes humaniſſime, qui ſummis negotijs impediti ſunt, quiq; arduis in rebus verſantur, fabulis ac nugis interdum delectari, quò eorum mens ita recreetur, vt ad excogitandas res præclaras poſtea ſit acrior. Hoc idem tibi poſſe contingere quis ambigat, niſi qui te inanes etiã litteras libenter legere ignorauerit? Itaque hac opinione adductus perbreues has ad te dedi, quæ tibi perſuadeant, vt Paulli Sacrati memoriam retineas, qui te tanti facit, vt*

nemini

nemini concedat; in te vero colendo ſuperet omnes. Qui ſi in tantis occupationibus tuis mihi tamen fauere non grauatus fueris, vt puſillam hanc epiſtolam tua lectione dignam ſtatuas, non vereor ne non lætere eum, in quem tot ac tanta ſtudia contuliſti, tui memoriam crebro vſurpare. Tu quoque ſi me tibi in viſceribus hærere patieris, in cœlo ſum. Vale Antiſtes optime, cuius actiones omnes Deus opt. max. fortunet. Ferrariæ. ix. Kal. Februarij. CIↃ IↃ LXXIII.

IO. MORONO CARDINALI.

CVM *tuorum in Iacobum fratrem nunc Epiſcopum Carpentoracti, & in me ipſum ac familiam noſtram beneficiorum magnitudinem memoria repeto Ampliſsime Patrone, qua ego mente ſim, quaq́; erga te uoluntate, ſi verbis explicare mihi liceret, ac nō deeſſet oratio, me valde felicem atque beatum appellarem: Quid enim optatius, & in vita mea iucundius mihi accidere poſſet, quam aliquam inire rationem, quemadmodum magnam atque inſignem meam in te pietatem, ac deditiſsimum animum tibi notum facerē, & reperire viam, qua tibi perſuaderē, quāti faciam ſingularem humanitatem tuam, qua nos fouere non ceſſas, ac ſpectatam in mul-*

tis magniſq; rebus integritatem & incredibilem ſapientiam tuam admirer? Verum hæ eximiæ virtutes cum in te mirum in modum eluceant, tantam ſplendore ſuo caliginem animo meo offundunt, vt ne cogitare quidem, ne dum eloqui valeam, quam ſis de nobis bene meritus: Innumerabilia tamen tua in nos officia iandudum mentibus noſtris infixa è memoria euellere non poſſunt. Caue enim me oblitum eſſe putes, cum Alphonſus Pinceta meo nomine ſupplex te etiam atque etiã rogaret, vt non habita Philippi fratris mortui ratione me tibi iam penitus addictum in tuorum numero reponere velles, quod reſpõſum a te tulerit, quam benignum, quam plenum prudentiæ, & grauitatis, familiam noſtram ſcilicet, quamuis fideli ſeruo careas, tibi tamen gratam fore, atque in patrocinio tuo, quòd nonnullos in ea viros tua beneuolentia dignos cenſeas. O vocem ſuauem atque præclaram: Quis ea præſtet eloquentia, quæ te ſatis laudare queat? Non ego quidem tam ineptus ero, vt hoc mihi arrogẽ, & aggrediar ad ea, quæ ad exitum peruenire non poſſe ante confeſſus ſum. Conabimur autem certè Iacobus & ego omnibus viribus gratiſsimi animi tibi ſigna dare, ut prouocandi in dies magis amoris erga nos tui cupidos nos fuiſſe intelligas. Quæ quia tibi iucunda fore ſperamus, cum maius hoc tempore ſummæ noſtræ erga te obſeruantiæ, ac pieta-

tis

tis indicium tibi oſtendendi occaſio alia nobis non offeratur, Munuſculum hoc leuidenſe ad te miſimus, hac opinione freti, vt, quoniam nulla ex parte maxima tua in nos merita aſſequi ualemus, promptiſſimum tamen animum, atque conſtantiſſimam voluntatem nobis non defuiſſe conijcias omnia moliendi, vt nos ingratos fore nullo vnquam tempore arbitreris, tales vero eſſe optare, in quos omnia tua ſtudia quotidie conferre te non pigeat. Vale. Ampliſſime Patrone, quem Deus nobis perpetuò ſeruet atque fortunet. Ferrariæ. vi. Id. Aprilis. CIↃ IↃ LXXIII.

PTOLOMEO GALLIO Cardinali Comenſi.

ET *ſi nunquam te de facie noui Patrone Amplisſime, a multis autem ea iandudū audiui de tuis præſtantiſſimis virtutibus, ſumma videlicet prudentia & optimarum artium ſcientia, incredibiliq; morum ſuauitate, & nuper ab optimo ac ſapienti Antiſtite noſtro Alphonſo Roſſeto, quæ me ad cultum tui nominis incitarunt; fecit tamen mirificum illud ſtudium, quo Iacobum fratrē meum ad aſſequendam eam, qua nunc ornatus eſt, dignitatem, plurimum adiuuiſti; vt, cum alterum me maxima fueris beneuolentia complexus; (fratris enim honor non ad*

me ſolum, ſed ad familiam etiam noſtrã pertinere uidetur) me tibi perinde debere profi tear ego, qui ſacris initiatus in templo Pon*tificio ſatis honorificum locum licet non merito teneo, ac ſi abs te ipſomet beneficio affe ctus fuiſſem.* Verum *quid te potiſsimum impulerit, vt multa ac magna in fratrem officia contuleris, duas opinor cauſſas fuiſſe:* A*lteram quidem, quòd cum ſuauiſsima natura præditus ſis, atque valde propenſa ad benemerendum de ijs omnibus, quos tuo patrocinio non indignos prorſus arbitraris, tecum non præclare actum eſſe putas, niſi alicui quo tidie proſis:* A*lteram autem, quòd cum magna ac uetus tibi cum* Paullo Sadoleto *conſobrino noſtro* Carpentoracti *olim* Epiſcopo *amicitia interceſſerit, eam quoque cum ſucceſſore præſertim ei propinquitate coniunctiſsimo iungere, atque quodammodo illius renouare memoriam tibi iucundum fuerit:* At *meum de hoc iudicium eſt, vt totum humanitati tuæ aſcribam, quæ in te adeo ſingularis eſt, vt non ſolum animos hominum ſibi conciliet, alliciatq́;, ſed etiam deditos reddat.* Quo *ego vinculo cum me aſtrictum etiam ſentiam, id his tibi litteris ſignificare uolui, vt intelligas primum, cum fratrem magnis tuis in eum meritis tibi deuinxeris, me eximiæ benignitati tuæ & animi magnitudini addictum eſſe:* Deinde *tibi perſuadeas vtrũque noſtrum omnem induſtriam & cogita-*

tionem

tionem in eo fixiſſe, vt quoniam tua præclara facta gratiarum actione non egent nec ad referendam tibi gratiam aſpirare nobis licet, illam ſaltem tibi habeamus, atque non ingrati animi indicia demus; vehementer enim cupimus, vt te apud nos bene poſuiſſe beneficium perſpicias. In quo munere obeundo Tiberius Pompeius Vicarius ſuccedet, qui & fratris nomine te ſæpe ſalutabit, venerabiturq́; Et nunc rerum domeſticarum noſtrarum aliquid tibi impertiet, munus ſanè valde exiguum, ſed quod tibi argumento eſſe poſſit, quo erga te animo ſemper eſſe uelimus: Interea fratri meo ne conſilio & opera deeſſe uelis, vt onus ſibi impoſitum facilius ipſe ferre poſſit, magnopere te rogo atque obſecro, ſi precibus meis cedere non grauaberis; facies enim quæ tua ſumma autoritas atque excellens virtus non patitur modo, ſed etiam poſtulat. Vale. vij. Id. April. CIↃ IↃ LXXIII.

IVLIO CANANO
Epiſcopo Adriæ.
Rhodigium.

VEREOR *ne dum nihil ad te ſcribo Pontifex optime, measq́; res nimis ſollicitè curo, tu interim mei oblitus ſis. Quod mihi profectò moleſtiſſimum eſſet, ſi mea id culpa accidiſſet: Nam cum diu ac multum in eo*

ante

ante elaborauerim, vt gratiam tuam mihi conciliarem, tuq; me in tuorum numero haberes, iniquo nunc animo paterer anſam me tibi præbuiſſe immutandæ tuæ erga me voluntatis: Cum verò tuam miram humanitatem mecum recolo, & in amore conſtantiam præſertim ergá eos, quos tuo iudicio tibi tuendos ſuſceperis; quod me ex ijs vnum eſſe iamdiu mihi perſuaſerim, id hoc tempore audaciam mihi dat, vt quas nunc ad te litteras dedi, eas non ingratas tibi fore confidam. Ex quibus perſpicias velim me nomen tuum crebro vſurpare, & quibus cum de te ſermonem habeo, qui ſanè multi ſunt, ijs omnibus ſignificare, quanti à me fias, & quantum me abs te diligi credam. Atque huius mei erga te animi, de quo te non dubitare certo ſcio, cum etiam optime conſcius ſit Iacobus frater meus Epiſcopus Carpentoracten. mandata mihi dat, vt ſi hic ades, ſuo te nomine ſalutem, ſin abes, per litteras te certiorem faciam ſe ſuauem tuorum officiorum recordationem habiturum eſſe, ac ſi cæteris rebus non poterit, obſeruantia certè tuæ in ſe beneuolentiæ perpetuo reſponſurum. Quare cum vtrique noſtrum chariſſimus valde ſis, a me uero potiſſimum colare, exiſtimare debes nullam taciturnitatem, nec locorum interuallum, quo inter nos diſiuncti ſumus, tanti vnquam fore, mihi vt impedimẽto ſit, ne te ſemper, quo ad hac luce frui mihi licebit,

cebit,

tebit, in oculis feram. Tu quoque ſi nulla te res vnquam de hac ſententia dimouebit, vt me tecum in gratia eſſe patiare, ſicut mihi de te ſpondeo, facies quod tuæ ſingularis virtutis proprium erit. Vale. vij. Kal. Octob. CIↃ IↃ LXXIII.

ANTONIO RICCOBONO Patauium.

ACCEPI *orationes tuas* Riccobone *doctisſime, quæ mihi admodum gratæ fuerũt, mihi enim ſignificaſti me tibi eſſe cordi; Sed nullæ tuæ litteræ redditæ mihi fuerunt, quod certè miratus ſum, niſi forte opinionem vulgi ſecutus es, quòd viua vox magis afficiat. Is enim qui volumen orationum tuarum attulit, & nuntius nobilis & doctor eſt, præterea humanitate & morum ſuauitate præditus, vt ſcribere neceſſe tibi viſum non fuerit. Sed tamen mi* Riccobone *cum litteræ tuæ mihi* I*ucundiſſimæ ſoleant eſſe, fac, ſi me amas, vt ÿs non caream: Quod commodo tuo facere poteris, ſi ex grauiſſimis occupationibus tuis tantum ſumere temporis ſaltem volueris, vt perbreuem quandoque ad me epiſtolam des. Quod reliquum eſt, maximas tibi ago gratias, quòd recentem mei memoriam tenes, atque certiſſima tui in me amoris indicia oſtendis, cui me mutuo reſpondere, nec abs te vinci; dabo operam uti cogno-*

gnoſcas. Vale. Et Pacium Scalam Iuriſconſultum virum optimum atque humaniſſimũ mihiq́; amiciſſimum meo nomine ſaluere Iube. Ferrariæ. Idibus. Octobris. CIↃ IↃ LXXIIII.

F. AVGVSTINO FOROLIuienſi. Comaclum.

CVM *in mentem mihi venit Auguſtine excellentis tuæ virtutis ac morum ſuauitatis, vellem iſtic eſſe, vt tua dulciſſima conſuetudine atque cõgreſſu quotidie fruerer. Quid enim iucundius mihi accidere poſſet ac ſuauius, quam tecum ſemper eſſe, tecumq́; colloqui? Nam paucis ante diebus dum iſtic fui, cum tuam humanitatem comitatemq́; mirarer, doctrinam vero in te cum prudentia coniunctam laudarem, te tantum amare cœpi, vt quòd nunc te caream, mihi ipſi diſpliceam. Itaque ſi mihi per occupationes liceret, ac meæ res domeſticæ paterentur, & præſertim onus illud, quod ego in templo Põtificio ſuſtineo, vt hinc abeſſe diutius poſſem, Antiſtiti noſtro Comacli Herculi Sacrato optimo ac ſapientiſſimo viro, ſuauiſſimiſq́; moribus prædito, quem ſemper mirifice colui, iſtuc ſæpe proficiſcenti me comitem adiungerem, ſi modo ei gratus eſſẽ; Vel certè ſolus me in uiam darem, vt in complexum tuum venirem, eum enim ex acuto ingenio tuo fru*

ctum

ctum perciperem, qui mentem meam maxime reficeret ac recrearet. Sed cum meũ explendi deſideriũ facultas mihi non ſit, mea me de te mentio crebra delectabit, ac per litteras tecũ collocutio. Quòd ſi argumentũ mihi ad ſcribẽdum deerit, id frequenter repetã, videlicet tuæ ſuauitatis ac mãſuetudinis obliuioni locũ apud me nunquã futurum. Tu vero, quando iſtic tuam erga me beneuolentiã declaraſti, quin eadẽ erga me poſthac futurus ſis voluntate, dubitare nõ debeo, cũ .n. in te virtutes omnes eximiæ ſint, animo conſtãtiã, quæ vna in tuenda amicitia virtus præcipua eſt te nõ retenturũ eſſe nunquã exiſtimabo. Vale. Antiſtes noſter humaniſſimus multã tibi ſalutẽ dicit. Tu quoque ſaluere Iubebis Claudiũ Archipresbyterum, & illos omnes, quos mei memoriam tenere perſpicies. Ferrariæ. iij. Id. Nouemb. CIↃ IↃ LXXIV.

M. ANTONIVS MVRETVS.
Paullo Sacrato ſuo.

SVPERIORIBVS *diebus cum ad litteras tuas reſpondere cœpiſſem, & ſi iam multa nox erat, egoq; mihi eam potiſſimum horam delegeram, quam ab interpellatoribus vacuam fore conſiderem, ſtatim tamen accidit, vt ad me veniret, qui, quod cœperam, vetaret abſoluere. Itaque in mea quadam indignatione riſi tamen, quod quaſi fato quodã*

eue-

euenisse videretur, vt ne tũc quidem possem ad te, cum maxime cuperem, scribere. Illud tamen quicquid erat, quod habebam in manibus, vt erat imperfectum atq; inchoatum ad te misi: simulq; pollicitus sum me propediẽ ad te nescio quid nugarum mearum esse missurum. Præsto igitur quod tum promisi, & ad te mitto exempla duo orationis cuiusdam a me nuper habitæ: quam, etsi bella non eſt, tibi tamen & Canalio nostro, pro veſtro erga me amore, non planè displicituram esse confido. Velim autem mea caussa conuenias Antonium Montecatinum, quem virũ, Sacrate mi, vix credas, quantum amem, & quanti faciam, eiq; plurimam a me salutem dicas, simulq; ei vnum ex illis quæ ad te mitto, meæ orationis exemplis tua manu des. Ita enim spero ipsi quoque munusculum gratius fore. Etsi ille quidem eodem, quo tu es, erga me animo est, & quanquam acerrimo iudicio eſt, mea tamen & legit libenter & laudat. Scribendum mihi hodie est ad multos, ideoq; tecum ero breuior. Ama me & vale. Romæ. xi. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXXIII.

M. ANTONIO MVRETO I. C. S. P. D.

TARDIVS *ad te scripsi* Murete *doctiſsime, quòd eo tempore, quo litteras tuas accepi,*

accepi, & exempla tuæ præclariſſimæ orationis duo, tanta me capitis diſtillatio arripuit, & hactenus ita vexauit, vt vix ſpiritum ducere poſſem. Itaque, mihi crede, iam ſenectutem aduentare ſenſi, vt poſthac deliberandum mihi ſit, quonam pacto reliquum traducere tempus debeam: Non tamen in hanc cogitationem veniam, antequam iſtinc reuerſus fuero, quò anno proximo, (Deo opt. max. mihi propitio) ſtatui proficiſci: Vbi dum diuinis rebus operam dabo, te vt ſpero, ſæpe cõplectar, & tuo iucundiſſimo conſpectu fruar ita frequenter, habita tamen a me ſtudiorum tuorum ratione, vt non verear, ne tui ſuauiſſimi congreſſus ſatietas me teneat. Tunc vero me in otium referam, & in crebra tui cõmemoratione conquieſcam. Venio ad litteras tuas, quibus me ſtatim paruiſſe ſcito: nam poſtridie mane Montecatinum adij, eiq; vt iuſſiſti, orationis tuæ exemplum vnum manu mea dedi, cui quàm gratum fuerit, ex ipſius litteris te cognouiſſe arbitror: Alterum vero poſtquam egò bis terue legi, innumerabiles amici tui in manibus habuerunt: qui omnes Mureti ſummi viri lucubrationem eſſe voce magna exclamarunt. Quare te in hiſce regionibus maximum nomen habere perſuadeas tibi velim; qui vero deditus tibi ſit, ac propter excellentem virtutem tuam magis addictus quàm ego, vnquam habiturum eſſe neminem. Breuius ad te ſcripſi, quam

cupie-

cupiebam, quòd nondum ſatis firmo corpore ſum. Poſt hac pluribus tecum agam. Vale. Ferrariæ v. id. Ianuarij. CIↃ IↃ LXXIII.

EIDEM ROMAM.

NVNC *ſentio te mei oblitum eſſe* Murete *optime, poſtquam præclariſſimam illam orationem in funere Regis* Galliæ *abs te iſtic habitam ad me perferendam non curaſti: ſolebas enim in mittendis ad me lucubrationibus tuis ita diligens eſſe, vt ſingulare tuũ in me ſtudium præteferres, meosq; collegas in maximam admirationem traduceres: Sed quid potiſſimum cauſſæ fuerit, quòd tam facilè amorem erga me tuum ex animo eieceris, cogitatione profectò aſſequi non valeo.* Nec *tamen mihi conſcius ſum quicquam a me cõmiſſum eſſe, quod te mihi immutare poßet: ad tuas enim litteras ſemper reſpondi, ac te meis laceßiui interdum, ex quibus perſpicere potuiſti, quantum tibi tribuerim, niſi fortè* Canalio *& mihi ſubiratus es, quòd more noſtro te non ſalutauerimus, in quo certè non defuit nobis ſumma uoluntas, & diligentia magna adhibita eſt, ſed viam reperire nunquam potuimus, qua tibi gratificaremur:* Quanquam *de te quippiam tale ſuſpicari nõ debeo; non enim noui te animo eſſe ita humili, vt hæc parua cures.* Veruntamen *cum*

iſtuc

iſtuc proximo anno venire nobis ſtatutū ſit, Deo clementiſſimo iuuante, certè tecum corā ita agemus, vt obliuionem tui nunquam in mente noſtra inſediſſe, ſed nomen tuum in intimis viſceribus ſemper inhæſiſſe, fateri cogaris. Interea te etiam atque etiam rogo, ne me tuam in me beneuolentiam deſiderare patiaris, ſi me uis animo eſſe æquo atque tranquillo, nec ſingularem illam humanitatem, qua in communicandis mecum ſcriptis tuis uti ſoles: Sin aliter tibi eſſe faciendum decreueris, iſtic dum ero, me nunquam auſurū venire in conſpectum tuum exploratum habeas velim. Quare tuo me chirographo cōſolare obſecro te, & qua ſis in me uoluntate fac me certiorem. Vale. Pridie idus Quintil. CIↃ IↃ LXXIIII.

M. ANTONIVS MVRETVS.
Paullo Sacrato, s. d.

NE *orationis à me in funere Karoli regis habitæ exemplum ſtatim ad te pro mea veteri conſuetudine miſerim, id vnum obſtitit, quod te Carpentoracti eſſe arbitrabar: eò enim profectum audiueram, & eò facilius adducebar, Vt crederem, quòd multos iam menſes nihil a te acceperam litterarū. Nā illa quidem, quæ tu ſcribis, partim* ἕωλα *ſunt, & a te ioco ſcripta, partim nimis aliena ab ingenio meo. Mene ut unquā illius hu-*

humanitatis, quam in te & in Canalio noſtro mediusfidius prope ſingularem cognoui, capere poßit obliuio? Tum ego me indignũ fatear, qui amer a veſtri ſimilibus, ideſt à viris humanitatis, integritatis, officij plenis. Quare mitte, obſecro te, iſta vel ſuſpicari, vel quo me cruties ſimulare te ſuſpicari. Ego duo vos amare, colere, obſeruare non deſinã, niſi is eſſe qui ſum, deſinam. Quod ſi rarius ſcribo, ignoſcere vos oportet vel occupationi bus vel pigritiæ meæ, quæ ingraueſcente iã ætate quotidie magis ac magis augetur. Magnam lætitiam nuntias, quod uos vnà ineunte anno in vrbem venturos polliceris. Fruar enim aſpectu, amplexu, & optatißimis ſermonibus duorum longe mihi carißimorũ capitum. Et ſpero uos non ita occupatos fore, ut non ſæpißime nobis vnà eſſe liceat. Iam nunc igitur percipio mente ac cogitatione col locutionum noſtrarum ſuauitatem. Interea quod unicum mihi reliquum erat exemplum ἐκείνου τοῦ ἐμοῦ λογαρίου *ad vos mitto. Propediem prodibunt ex Aldi Manutij officina orationes omnes meæ, in quibus hæc quoque. Inerunt & poematia quædam non magni pretij: Sed quæ tamen mirifico a quibuſdam ſtudio expetuntur. Mihi crede Sacrate mi, ludere mihi videtur homines, cum mea iſtæc & laudant & requirunt: quæ ego, quò magis inſpicio, eò magis, quàm nihil ſint, ſentio. Nã vt aliquid fortaſſe ſimus, ſi cum qui-*

buſ-

buſdam æqualibus noſtris conferamur; at certè, ſi quis cum antiquitate nos comparet, iacemus. Vale: aut potius ambo Valete, quando vt ego pro indiuiſo amborum cõmunis ſum, ita hæc epiſtola utriuſq; communis futura eſt. Romæ *xij.* Kal. Sextil. CIƆ IƆ LXXIV.

M. ANTONIO MVRETO I. C. S. P. D.

VENIENTI *iſtuc* Vincentio Fantino *Collegæ meo optimo & humaniſſimo nõ potui has perbreues ad te litteras non dare; ex quibus intelliges, quod ad tuas non reſpõderim, ac tuam præclariſſimam orationem, quam in funere* Caroli *habuiſti, abs te paucis ante diebus miſſam, mihi iucundiſſimam fuiſſe tibi non ſignificauerim, huius ſilentij mei multas, atque adeo graues cauſſas mihi extitiſſe, vt excuſationem meam accipere debeas: Quas* Vincentius *tibi narrabit, cum te ocioſum eſſe cognoſcet.* Quem *in maximam familiaritatem tuam venire, ac tibi in timum eſſe patere:* Nam *cum is integritate, doctrina, ſuauiſſimisq; moribus apprimè ornatus ſit, magnam te ex eius conſuetudine voluptatem non ſolum capturum eſſe polliceor tibi atque ſpondeo, ſed habiturum etiã mihi gratiam, quòd tibi tam ſincerum amicũ conciliarim.* Itaque *ad eam beneuolentiam, qua ipſum ſponte complexurus es, fac ali-*

quid

quid mea cauſſa etiam accedat, ut is meam commendationem non nihil apud te ponderis habuiſſe ſentiat. Vale Murete ætatis noſtræ decus. Ferrariæ xvi. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXXIIII.

FRANCISCO PALVDINO Primicerio. s. p. d.

ARDEO *Paludine optime cupiditate incredibili te videndi, & vix diuturnam iſtam abſentiam ferre poſſum: Careo enim dulciſsima illa collocutione noſtra, quæ me mirum in modum delectare ſolet: Quod ſi iſtuc iter mihi cognitum fuiſſet, aut non fuiſſem ueritus, ne tibi nec opinanti aduentu meo moleſtus eſſem, iam ad te profectò accurriſſem; vt in fruendo ſuauiſsimo conſpectu tuo diem ſaltem conſumerem; Sed me retinui, quòd ſpero fore, ut cito ad nos reuertare; appropinquat enim palmarum dies ſic a religioſis vocatus, quo partes tuæ erunt, vt ſacrum celebres: Quæ me ſpes niſi reficeret atque recrearet, nulli, mihi crede, labori parcerem, quò ad te aduolarem: Cupio enim cognoſcere, quod ſit conſilium tuæ tam longæ iſtic moræ: an ferus euadere uelis, qui in ſiluis & nemoribus aſsidue uerſere, an vero Paulli primi eremitæ veſtigia imitari ſtudeas, ut nemo intelligat, vbi ſis, vbive habites. Nam quamuis domos fabrices, fundos colas, vales*

impleas

impleas, & foſſas denique fodias, tamen nõ ne conſtituere potes, qui tantiſper vicem tuã gerat, dum ciuitatem noſq; amicos tuos inuiſis? Nam cito redeundi tibi ſemper facultas erit. Sed dum ad te ſcribo, hæc mihi cogitatio in mentem venit, vt Vliſſem agere uelis, videlicet cum domum acceſſeris, ita mutatus ſis, vt non te cognoſcant tui, eorumq; nemine tu pariter agnoſcas. Quare, ſi me amas, me certiorem facere non grauabere, quando te viſuri ſimus: nam & meum ſummum tui deſiderium non parum lenies, & mihi tàm gratum facies, quàm quod gratiſſimũ. Vale. viij. Kal. Aprilis. CIƆ IƆ LXIV.

MARCO FORTIÆ. CARpentoractum. s. p. d.

O inexpectatas quidem, ac ſuaues admodum litteras tuas Marce humaniſſime. Quãta vero me lætitia illæ affecerint, ex quibus me abs te vehementer amari, memoriamq; veteris amicitiæ noſtræ recentem apud te uigere perſpexi, verbis explicare non poſſum, mihi certè iucũdiſſimæ fuerunt, tum quòd humanitatis, ac ſuauitatis pleniſſimæ erant, tũ quòd magnam ingenij tui uim ac dicendi facultatem præſeferebant. Ac primum cum ſcribis te ſera gratulatione vſum fuiſſe de Iacobo fratre meo Epiſcopo iſtic creato, quòd ob intermiſſa iandiu abs te litterarum ſtudia

latine ad me dare literas; vt ſolebas olim, non auderes; non ne vel maxime eloquentia tua apparet? Nam ita eleganter, ita docte hoc officio functus es, ut nemo, qui epiſtolam tuam legit, adduci poßit, vt credat te librorum uſum dimiſiſſe, ac non quotidie aliquid legere vel ſcribere: Deinde cum addis te officio adductum gratulari nunc mihi voluiſſe, atque gratias agere; quod mea cauſſa ab Antiſtite fratre meo gratiam inieris, non ne morum ſuauitas, modeſtiaq; tua elucet, cum ea, quæ tuæ uirtuti debentur, alijs attribuis? Itaque cum omni uirtutum genere excellas, (vt mittam nunc tuam in rebus gerendis induſtriã ſingularem) Frater vero meus & optimo ingenio & iudicio præditus ſit, non miror multa tibi ſummi amoris indicia ab eo oſtendi; is enim acute perſpicit, cum ſimiles iſtic tibi perpauci reperiantur, & alibi non adeo multi, ſe iure reprehendi poſſe, ſi eum, qui omnibus ornamentis redundat, non plurimi faceret, & carum haberet. Sed, quòd eum putas mea commendatione impulſum, ſignificare ſtudium erga te eximium, falleris profectò, ac utrique veſtrum iniuriã facis, tibi quidem, quaſi tuæ virtutes non ita eniteant, ut ad amorem tui omnes prouocẽt, fratri vero, quòd ipſe per ſe dijudicare nõ ualeat, niſi à me admoneatur, an te beneuolentia complecti debeat; à quo potius me ſæpe conſilium petijſſe velim ſcias, quòd illum nõ

ætate quidem, ſed ſapientia, & ſcientia, moribus deniq; anteire mihi cognoſcerẽ. Quod *meum de illo iudicium ſummus poſtea* Pon*tifex (vt recte inquis) ſuo beneficio cõprobauit. Quare cum mihi ſignificas fratrem meum dignitatem ſuam retinere, neque opera & diligentia vlla in re deeſſe officio ſuo, & hominibus iſtis gratum eſſe, quòd in ipſo Auunculi etiam imaginem uideant:* Et *ſi non aliter vnquam de eo me auditurum ſperaui, te tamen virum grauem ac iudicio præſtantem illi & integritatis & prudentiæ teſtimonium dare mirũ in modum lætor.* Quòd *autem me amantiſſime iſtuc inuitas, tuũ* Mar*ce hoc anno proximo erit primum te comitẽ* A*ntiſtiti præbere, & hac tranſire, vt vnà* Romam *ad viſenda* A*poſtolorũ limina proficiſcamur, & ea, quæ ad religionem pertinent, ſanctè exequamur:* In *reditu vere perpendere meum erit, an ætas mea ingraueſcens ad tantum iter conficiendum idonea futura ſit.* I*nterea vos hic expectabo, & quæ ad recipiendos tantos hoſpites neceſſaria fore videbuntur, diligenter parabo.* V*ale ſuauiſſime* Marce, *ac eos omnes, cum tibi commodum erit, meo nomine ſaluta, in quorum mẽtibus me adhuc inhærere compereris. xi.* Kal. *Aprilis.* CIↃ IↃ LXXIIII.

EIDEM CARPENTORACTVM.

LITTERAS tuas expectaui iandiu Marce humaniſſime, quæ me certiorem facerent, quàm gratæ tibi meæ fuerint: Nam epiſtolæ tuæ in memoriam redigenti ſummam coniunctionem noſtram ordine reſpōdi. Sed, vt video, onus hoc, quod tuum profectò erat, Antiſtiti fratri meo impoſuiſti, vt is mihi de tuo ſenſu referret, ac de lætitia, qua non mediocri ex mea in te propenſa uoluntate affectus es. Ego vero, qui iam ſuauitate litterarum tuarum captus eram, in quibus ingenij tui magnitudinem & prudentiam eximiam admiratus ſum, mallem te officio functum fuiſſe, ne quod ſemel guſtare mihi pro tua in me beneuolentia licuit, eo me carere diutius paterere: Non enim hoc ab amicitiæ legibus alienum eſt, vt amicorum commodis aliquando conſulamus. Quod ſi occupationes tuæ multæ hoc mihi denegabant, poſtquã frater meus, qui te tanti facit, quanti fortaſſe iſtic neminem, operam tibi nauare cœpit, quàm iucunda mihi tui in me amoris ſignificatio fuiſſet, ſi ei ſaltem mandaſſes, vt tuo mihi nomine ſponderet te ad me ſuauiſſime ſcripturum fuiſſe, cum aliquid otij nactus eris, neque commiſſurum, vt debita amicitiæ officia abs te deſiderem? In ſpem enim veniſſem fore breui, vt, cum tu omni lepore

ac uenuſtate affluas, tales à te litteras acciperem. Quod abs te munus cum prætermiſſum ſit, attamen hoc præſtare tibi adhuc integrũ ſit, has ad te litteras dedi, quæ tibi ſuadeãt, vt etiam velis: Nam *cum tũ prior mẽ nec opinantem ad pugnam prouocaueris, non te iam opinor animo fore ita abiecto, vt ab ea longe refugias. Sed (quanquam hæc iocatus ſum, remoto tamen ioco) maximam habui* Antiſtiti *iſtic optimo gratiam, qui memoriam prope intermortuam veteris amicitiæ noſtræ tibi renouandi auctor fuerit.* Tuã *vero agnoui ſingularem humanitatem quòd oblatam tibi ſcribendi occaſionem libenter arripueris, & id tuò in me amori aſcripſi.* Quod *reliquum eſt, te rogo etiam, vt pergas in hac ſententia de tuo ſtatu me docẽdi quotieſcunque tibi commodum erit (ita enim æquitas poſtulat)* Nam *tibi polliceor atque affirmo me quoque ad fratrem nullam unquã daturum eſſe epiſtolam, quin ferè altera ſit, quam tibi reddi velim, vel certè ſalutem dicam, vt quàm miro in te ſtudio ſim, tuiq; deſiderio ardeam, facile dijudicare valeas.* Vale. Et *amicos communes meo nomine ſaluta.* Idibus. Iunij. CIↃ IↃ LXXIIII. Ferrariæ.

PACIO SCALÆ I.C.
Pataiuum.

QVOD *tuis non reſpondi, in quibus ad feſtum* Diui *Antonij hilariter tecum celebrandum me peramãter inuitabas* Paci *humaniſſime, mirari deſine; non enim obliuione tui, ſed quòd aberam à ciuitate, ac permultis negocijs diſtinebar, ad te litteras non miſi; Qui enim ex animo meo diſcedere poteſt tui memoria, cum imago tua in oculis mihi uerſetur?* Hoc autem *dulciſſimæ naturæ tuæ atque eximiæ humanitati adſcribe, quibus fretus, & veteri quoque amicitia noſtra tam conſtanti & firma, vt hac litterarum vltro citroq; miſſione non egeat, amici officiũ prætermiſi, aut etiam inertiæ meæ, quæ me iam in ſcribendo negligentem reddit:* Nã *poſtquam ingraueſcere cæpi, ita fugio laborem, vt otium me valde delectet.* I*taque ſi tu aliquam in ſuſpitionem veniſti de mea erga te voluntate cum mutuus amor noſter minime patiatur, vt aliquid à cõiunctione noſtra alienum cogites, ea depone, optimeq; de me ſenti, atque excuſationem meam iuſtam illam quidem, non neceſſariam tamen (ſi recte te noui,) libenter accipe.* De *mea iſtuc profectione ſcito me quotidie cum domeſticis meis ſermonem habere, ne dum de ea cogitare: Sed vt illã diſtulerim, multæ, mihi crede, cauſæ inter-*

interceſſerunt, quas tibi notas eſſe opinor, primum Litium multitudo: Deinde Regis aduentus, quo tota ciuitas valde commota eſt: Denique acceſſus legati à ſummo Pontifice miſſi ad nos, viſitatoris vulgo nuncupati; Qui ſtatum, vitam, moresq́; ſacerdotū ita inquirit, & acute ſcrutatur, vt qui eius ſolertiam ſagacitatemq́; eludere poſſint, opiner fore perpaucos; qui verò irretiti ſunt, è quorum numero me non eximo, non ſolum exire à ciuitate, ſed etiam vix alias res agere poſſunt: Quod malum vnde emergat, tibi pro tuo acri ingenio iudicandum relinquo. Cum autem hinc Antiſtes ille diſceſſerit, tunc, ſi tempus opportunum mihi viſum fuerit, & iter commodum, aſcendam in equum, & ad te accurram, vt non verear, licet te valde occupatum offendam, ne tibi moleſtus ſim; Quin etiam mihi perſuadeo meū iſtuc aduentum ita iucundum tibi fore, ſicut optatiſſimus ac ſuauiſſimus conſpectus tuus mirifica me voluptate afficiet. Interea noli eum me exiſtimare, qui vlla re a ſententia dimoueri poſſit ne promiſſa ſeruem, nec paſſurum arbitrare, vt quicquid ad te ſcripſerim, irritum ſit, ſed quo menſe aut die expectare me debeas, mihi quoque non conſtare exploratum habeas velim. Vale Pace eximie, ac lectiſſimam fœminam matrem tuam meo nomine ſaluere Iube. vtrique veſtrum Thomas frater meus plurimam ſalutem dicit.

*tii xv.Kal.*Nouemb. CIↃ IↃ LXXIIII.

ANTONIO RICCOBONO s. p. d. Patauium.

E T *ſi iandudum ad te ſcripſeram* Riccobone *doctiſsime, & de lectiſsimo munere tuo gratias tibi egeram, venienti tamen iſtuc Claudio* Berta*Zzolo & doctori, & iuueni ſuauiſsimo, mihiq; amiciſsimo non potui aliquid ad te litterarum non dare, præſertim cũ ipſe mihi huiuſce ad te epiſtolæ argumentũ dederit: Scito igitur me prætermittere non potuiſſe, quin tibi mirum in modum gratuler, quòd ita tibi illius animum conciliaris, vt ad vſus ipſum tuos etiam adiunxeris. Nã quanto ſtudio mandata tua perſecutus fuerit, atque perfecerit, quid attinet dicere? dicam tamen, vt illius erga te beneuolentiam non mediocrem perſpicias: Semel domum meam venit, vt tuis me uerbis ſalutaret, à qua tũc aberam, rediit iterum, & volumen tuarum orationum mihi attulit, in foro denique me conuenit, ac dum de te ſermonem haberet, fidem mihi fecit me abs te mirifice diligi; Et præterea ſe fideliter meas tibi litteras perlaturum pollicitus eſt Iuuenis humaniſsimus. Itaque à tali ac tanto nuncio inuitatus an calamum libenter non ſumerem, tibiq; per litteras non declararem, quanti etiam te faciam? At cum ille hanc tibi epiſtolã reddiderit,*

rit, ſi abs te fuerit interrogatus; quid de me ſentiat, cũ ei opus non fuerit, vt mihi calcaria admoueret, profectò fatebitur ſe ſigna luce clariora habuiſſe mei erga te amoris: Et *cur* R*iccobonum virum omni virtutũ genere ornatiſsimum in oculis non feram? cuius memoria ex animo meo, quo ad ſpiritum ducã; nunquã diſcedet.* T*u quoque ſi eadẽ eris erga me voluntate, qua hactenus fuiſti, non vereor ne non amicitia noſtra multis vtrinq; officijs culta nobis perpetuo iucundiſsima futura ſit,* V*ale.* E*t* P*acium* S*calam* I.C. *doctiſſimum & humaniſsimũ virum, quemq; iam pridem facio plurimi, meo nomine ſaluere* I*ube.* F*errariæ.* CIↃ IↃ LXXIIII.

F. AVGVSTINO FOROLIuienſi. s. p. d. Comaclum.

BINAS *abs te litteras accepi* A*uguſtine humaniſsime, alteras quidem vernacula lingua, alteras uero latine ſcriptas, ſed elegãter & docte ac peramanter, quæ me maxima iucunditate affecerunt:* E*x ijs.n. cognoui te mandatum meum ornate politeq; executum fuiſſe, quippe qui auctor fuiſti, vt longum de me in conuiuio ſermonẽ haberetis, ac ſummũ illum virum ad tantum in me ſtudium conferendum adduceretis, vti chirographo ſuo tam eleganti tamq; graui indicaret*

mihi ab eo me diligi. Quod & ſi modeſtia quadam tua optimo Antiſtiti Sacrato noſtro, & Alexandro Canalio totum tribuis, maximam tamen partem acceptam tibi refero, qui legendi meas litteras poteſtatem dediſti, nec animaduertiſti haud licere ſermonem illum noſtrum familiarem in alienas manus deuenire, cum præſertim ad te ſcripſiſſem temporis anguſtia eas me litteras minus accurate exaraſſe. Sed Auguſtine ſuauiſsime obſecro te, non ne conſcientia te ſtimulat, quòd tantum virum tot mendacijs onerasti, & in eundem errorem alios induxiſti? niſi forte vt Plato reip. Xenophon Regis iuſti hiſtoriæ fidem non ſecutus, imaginem expreſſerunt, ſic viri excellentiſsimi ac omni laude cumulati formam vobis effinxiſtis, dum inter vos colloqueremini, non Paulli Sacrati hominis abiecti & humilis. Quid enim aliter ſentire de tantis viris par eſt? Tu vero quod munus priuatim cum illo Pontifice obire debuiſti, eo publice, opinor, functus es, vt apud omnes teſtatum relinqueres me abs te plurimi fieri: De quo certè non erat, quòd tantum laborares, te enim mihi mutuo in amore reſpondere iamdudum cognoui. Quòd etiam me roga[s], vt animum erga me tuum ac parem beneuolentiam mihi gratam eſſe tantiſper patiar, dum maioribus in me officijs eam declares. An officium abs te maius expectare me uis, quàm quòd operã mihi

ſtudiumq́; nauando virorũ celeberrimorũ gratiã mihi cõciliare coneris? nõ profectò, nec.n. in vita mea gratius quicquã & mihi honorificentius, iucundius denique à te proficiſci poſſe puto. Quare abs te tantum peto. vt hoc erga me animo ſis, ita enim mihi ſatisfacis, vt nihil præterea à te requiram. De me autẽ perſuadeas tibi uelim me magnopere curaturum, vt nec in amore, nec in colenda amicitia noſtra iam veteri abs te vnquam vincar. Vale. Ferrariæ. No. Nouemb.

CIↃ IↃ LXXIIII.

AVGVSTINO VALERIO Epiſcopo Veronæ. s. p. d.

SCRIPSI *ad te paucis ante diebus humaniſſime Antiſtes me decreuiſſe proximo anno, qui Romæ ſacer eſt, ad urbem accedere, teq́; magnopere rogaui, vt tunc ad tuos ibi procuratores, a quibus penſionem exigam, litteras mihi dare velles; Ita enim gratum mihi fore officium hoc tuum, vt pro eo plurimum tibi ſim debiturus. Cum igitur Franciſcus Gandinus meus ad nos rediſſet, narrauit mihi te libenter mea cauſſa nõ ſolum petitioni meæ ſatisfacturum, ſed illic etiam affuturum te dixiſſe. Quo nuncio mirifice ſum lætatus, & in ſpem veni me facile aſſecuturum, vt quem magnopere obſeruo & colo, eius ſuauiſſimo conſpectu, atque con*

greſſu frui mihi liceat. Verum *in mentem poſtea mihi venit hac epiſtola tibi ſignificare, quàm libenter me tibi comitem adiungerem, dum id tibi non ingratum fore ſciam, ſi a te vel tuorum quopiam, quo tẽpore iſtinc diſceſſurus ſis, & qua via habiturus iter, certior fierem, vt te conſequi poſſem;* Nã *conſilium profectionis meæ ad tuum accommodarem.* Mihi *quidem in animo eſſet extremo ferè.* Februario *hinc decedere, vt circiter* No. *martias* Romæ *ſim, & per picenum iter facere* V*irginem* Lauretanam *ſalutandi gratia, niſi maiorum meorum auctoritas aliter mihi ſuaderet:* Tu *vero, ſi operæpretium exiſtimaueris mihi ſignificare, quando tibi deliberatum & conſtitutum ſit iſtinc te mouere, gratam eſſe tibi hanc animi mei erga te propenſionem, ac meum ſtudium non iniucundum putabo.* S*in tibi graue non erit ad me litteras opportune mittere, quas ad tuos perferam, ſi forte eò non perueniſſes, aut ſententiam mutaſſes, vt ſit vnde ſuppeditentur ſumptus neceſſarij; magnos enim facturus ſum, cum ex meis bonis tantum pecuniæ, quantum itineri ſatis ſit, vix redigere poßim* Ego *tamen, & abſens & præſens dabo operam, vt quanti pro tua excellentißima virtute te faciam, optime perſpicias.* Tu *ſi mei cõmodi rationẽ abs te habendã eſſe duxeris, me tibi cordi eſſe ſciam.* Vale *Antiſtes præſtantißime.* Ferrariæ. *iij. id* Decẽb. CIↃ IↃLXXIIII.

FRAN-

FRANCISCO MARTELLIO i. c. s. p. d. Carpos.

QVOD *mihi ſæpe vſu veniſſe memi ni integerrime ac doctiſsime Martelli, cum hic affuiſti, vt in munere meo fungendo fue rim negligens, raroq; te ſalutauerim, cum ve ro abeſſe tibi neceſſe fuit, maxima te viden- di cupiditate arſerim, id nunc quotidie ſum- ma animi cum moleſtia experior, tanto enim tui deſiderio afficior, ut te tandiu abeſſe vix ferre poſſim. Nã & careo ſuauiſsimo conſpe- ctu tuo, & eo fructu qui ex prudentiſsimo ſer mone tuo maximus à me percipi ſolet. Quòd ſi exiſtimaſſem tam longinquum inter nos digreſſum & diſceſſum fore, officiũ hominis tibi deditiſsimi tuiq; obſeruantiſsimi diligen ter executus fuiſſem, quod ſingulari humani tate tua fretus, ac de tuo in me amore nihil detractum iri ſuſpicans negligenter præter- miſi. Me vero maxime angit incerta reditus tui dies, nam ſituum ad nos aduentum mãtu rum fore putarẽ, hæc me ſpes ita recrearet, ut æquo animo te expectare poſſem. Sed vereor ne tranquillus iſte ſtatus adeo te oblectet, vt quando te ad nos recepturus ſis, liquido tibi non conſtet: Et dũ animus religioni totus de ditus eſt, ne à multis & magnis moleſtiis, quæ te hic ſollicitũ habere ſolẽt, libẽter abſis. Quæ ego diuinans ſic ſe habere, non potui*

has

has breues ad te litteras non dare, ex quibus intelligas a me vehementer probari conſiliũ tuum, ſi non incommode ijs acciderit, qui te iudice uel arbitro magnam ſe fortunæ acceſſionem conſecuturos eſſe arbitrantur. Verum non pauci, quorum ſtatus ex arbitrio tuo pendet, ſententiam tuam non approbant nec laudant, & te tantam moram interponere ægre ſuſtinent. Quare cogita ad nos quàm primum te conferre; Expectatus enim omnibus mihi crede, venies. Ego crebram tuæ excellentiſſimæ uirtutis mentionem facere, tuorumq; in me meritorum memoriam conſeruare non deſinam. Tu tuorum cuipiam mandabis, ſi me amas, vt meas tibi gratas fuiſſe litteras certiorem me faciat; Cùm.n. ex tuo eximio in me ſtudio, tùm ex hoc nuntio tanta uoluptate perfundar, ut te à nobis locorum interuallo diſiunctum eſſe moderatius feram. Vale. Ferrariæ xvi. Kal. Ianuar. CIↃ IↃ LXXIIII.

NICOLAO THALAMIO.
S. P. D.

VIDE *optime Thalami quãtus ſit amor in te meus; Nam licet argumentum aliquod ſcribendi mihi non extiterit, has tamen inanes potius ad te litteras dare volui, quam nullas. Quas cum acceperis, non dubito quin intelligas, cum mihi in mentem venit dulciſsimi*

ciſſimi tui conſpectus, & iucundiſſimæ conſuetudinis, igniculum deſiderij tui me uix ferre poſſe. Ac quidem dictum illud, quòd vulgo vſurpari ſolet, Dum in conſpectu res eſt, eam non æſtimari, dum ab oculis abeſt, magnopere deſiderari, magnam aduerſum me habere vim ſentio: Nam cum tu hic aderas, quòd amicitia noſtra iam pridem vetus & conſtans nullis vtrinque egebat officijs, & vterq; ſua negotia gerebat, raro eueniebat, vt vnà eſſemus, & ſimul colloqueremur; Nunc quòd te non video, careoq; aſpectu tuo, ſic afficior, vt ferè mentis non ſim compos. Quare huic meæ ægritudini, cuius tu auctor es, remedium aliquod adhibere feſtina, & mitte ſuaues ad me litteras, quæ me delectare poſſint; & ex quibus me a te vehementer amari, atque in memoria haberi perſpiciam: Earum enim lectione ita recreabor, vt te a nobis abeſſe aliquantum animo æquiore patiar. Reſtat vt te etiam atque etiam vehementer rogem, cum ad Martellium noſtrum ſummum, & eximium virum ſcribes, vt me apud eum in gratia ponas. Quòd ſi feceris, affirmo tibi officium hoc maximæ non ſolum conſolationi, ſed ad perferendam etiam moderate abſentiam veſtram nō mediocri mihi adiumento fore. Vale ſuauiſſime Thalami. Ferrariæ x. Kal. Ian. CIↃ IↃ LXXIIII.

V. INCENTIO FANTINO.
Romam.

REDDITÆ mihi fuerunt litteræ tuæ Vincenti humaniſſime quæ me maxima voluptate affe erunt. in ijs enim vel maxime tuus in me amor apparuit, qui te ad ſcribendum impulit, & humanitas, qua tu non mediocri in exequẽdo mandato meo vſus es. Sed de tua erga me beneuolentia etſi nunquam dubitaui; illius enim ſigna hic multa dediſti; eam tamen nunc ſummam eſſe perſpexi, poſtquam tanti apud te iſtius vrbis amænitas atque ſuauitas non fuit, vt mei memoriam deponeres: Cui tuo in me amori ſcito me ita reſpondere, vt etiã in ipſo te vincam, & quòd careo tuo iucundiſſimo conſpectu, abſentiam a me tuam moleſte ferã. Quòd mea cauſſa libenter labores, ut meæ uoluntati morem geras, in hoc eximiam tuam humanitatem agnoſco ac naturam ſuauiſſimam. De quo quidem maximas tibi gratias agerẽ, ſi amicitia noſtra iam vetus hoc pateretur, habebo tamen ſemper tibi gratiam, ac quacunque in re potero, ſi occaſio tulerit, meam quoque in te propenſam volũtatem omnibus viribus enitar vt cognoſcas. Tu interea ne deſinas me tua opera atque induſtria iuuare; non enim apud ingratum hominem te beneficium poſuiſſe iudicabis. Illud in extremis

litteris

litteris tuis valde me delectauit, cum ſcribis te libenter in iſta vrbe ætatem tuam acturũ eſſe ſi res tuæ ac rationes ferrent, præſertim cum ibi honorifica conditione ac utili eſſe poſſes: Nam *in alia non es ſententia, qua ego ſemper fuerim; fuit enim tempus, cum iſtic priuate agere vitam maluiſſem, quam hic ſummis honoribus affectus: Sed, quæ te ratio nunc non ſinit explere deſiderium tuum, ea me quoque ab hac cogitatione amouit. Quis enim ibi eſſe nolit: unde omnia bona manãt?* Nam *ſiue cum doctis uiris verſari uelis, iſtic ſummorum uirorum maxima copia eſt, ſiue negotijs intereſſe & præeſſe cupias, magnus ibi campus eſt, magnaq́; in omnibus ſe artibus exercendi facultas.* Itaq́; *felicem ac beatum eum exiſtimo, qui uitam iſtic degere libenter & commode poſſit. Sed tamen cum a* Deo *opt. max. conceſſum nobis non fuerit, ut iſtic diutius manere poſſimus conabimur tamen hoc temporis, quod ibi conſumpturi ſumus, amænum iſtum locum ita guſtare vt deſiderium noſtrum aliquantum leniamus:* Tu *interim fruere ſuauitate iſta, & meum iſtuc aduentum breui expecta.* V*ale. vij. id.* F*ebr.* CIↃ IↃ LXXV.

EPI-

EPISTOLARVM PAVLLI SACRATI CANONICI FERRARIEN.

Liber IIII.

GVLIELMO SIRLETTO CARDINALI. Romam.

CVM *iampridem ſama nominis tui adductus magnopere te obſeruarē colerēq; ſæpiſſimeq; de tuis virtutibus prædicarem, quem ob incredibilem optimarum artium ſcientiam ab omnibus plurimi fieri intelligebam; Poſteaquam audiui te in Cardinalium collegium cooptatum fuiſſe, memini eo tempore non ſolum magnam me ex hac tua dignitate voluptatem cepiſſe, ſed ſummi etiam illius Pontificis prudentiam mirum in modū laudaſſe, qui premium eximiæ tuæ virtuti iandiu debitum perſoluiſſet. Ego autem in dies magis te vidēdi cupiditate ardebam cogitabāq;, ſi Dei*

ſiDei opt.max benignitate ad huc annum ſacrum perueniſſem, iſtuc iter facere quo meũ tui deſiderium explerem. Veni tandem Romam Ampliſſime Patrone eodem iuuante Deo, In ſacello Pontificio ſæpe fui, te ipſum intuitus & contemplatus ſum; ſed angebar quòd neminem haberem, qui ad te aditum mihi aperiret, vt quoad liceret, me in familiaritatem tuam inſinuarem. Itaque dum in hac cogitatione verſor, ecce præſtantiſſimi Mureti mei in mentem mihi venit, quem ob ſtudiorum ſimilitudinem tibi valde familiarem eſſe non dubitabam, ad eum adiui, eiq; ſenſum & animum meum indicaui; Ille continuo & ſe a te libenter videri, & omnia mea cauſſa facturum ſpopondit. Dictus eſt dies, dicta hora, qua ad te vnà veniremus, ipſe tibi è ſacra concione redeunti obuiã profectus, pauciſſimis verbis ea, quæ de me dicere decreueras, complexus eſt. Tum tu qua humanitate, qua comitate me amplexus fuiſti, quam hilari fronte me in fidem tuam recepiſti, cum etiam Iacobi Sadoleti olim Cardinalis me ſororis filium fuiſſe audires, cuius nomen ſemper tibi gratiſſimum eſſe fatereris? patefeciſti certè omnibus, qui tunc ibi aderant, quanti Muretus apud te eſſet, cuius commendatione tot iam in me ſtudia contuliſſes. Redij iterum vt te ſalutarem venerarerq;: Tua vero comitas affabilitasq; ſermonis quantopere me delectabat recreabatq;?

batq;? A cſi qua de re te interrogabam, quã ſuauiter, quàm manſuete mihi reſpondebas, vt grauiſsimam perſonam tuam interdum deponeres? acute.n. perſpexeras me à tuo congreſſu vix diuelli poſſe. Tertio diſceſſurus in patriam, cum te conueni, vt veniam abs te peterem, quæ amoris ſigna mihi non dediſti? quid non cõmiſiſti, vt me tibi gratũ eſſe, & in numerũ tuorũ intimorum abs te repoſitum eſſe certo crederem? Nulla profectò humanitatis ac benignitatis officia prætermiſiſti, quò me lætiorẽ dimitteres, vt etiã mihi pollicitus fueris te mea cauſſa libenter nugas meas eſſe lecturum. A bij demum iſtinc tanta lætitia perfuſus, quòd me dignum tua beneuolentia ſtatuiſſes, vt ſine labore iter hoc confecerim, ac domum veni maximo Dei beneficio ſaluus atque incolumis, vbi putas ne me omnia egregia & Illuſtria facta tua ſilentio præterire poſſe? mihi crede, hic apud omnes præſtantiſſimarum tuarũ uirtutum, ſingularis humanitatis, ac ſplendidiſsimi ingenij tui mentionem nunquam intermittam, & omnes quoad potero, in magnam tui admirationem traducã, qui ſummam grauitatem cum eximia comitate coniunctam in te admodum elucere audient: Curabo deniq. vt intelligas ampliſsimi Sirleti nomen in animo meo ita impreſſũ inſculptumq; eſſe, vt euelli amplius non poſſit. Quod reliquũ eſt, maximã immortali Deo gratiam habeo, habeboq; dum viuam, cuius

afflatu aſſecutus ſum quod iandiu optaui, vt te de facie noſſem, atque abs te gratiam inirem. Tibi vero, quoniam de referenda gratia ne cogitare quidem debeo: nimis.n. mihi arrogarem: gratiarum autem actionem tua tot ac tanta in me ſtudia minime deſiderant, nec ego excogitare valeo orationem, quæ tuis in me officiys par eſſe poßit, conabor gratißimi animi ac memoris indicia tibi ſæpe oſtendere. In animum enim induxi Patrone Ampliſsime, ſi tu paſſus es me in animum tuum influere, (nihil n. fictum ſimulatumve de amplitudine tua conuenit ſuſpicari) omnia moliri, ne ex animo tuo effluam, atque adiutorem in hoc eximium Muretum *meum ſemper aduocabo: maxime n. reprehendendus eſſem, ſi ampliſsimi viri gratiam effunderem, quem vt mihi conciliarem, nullis laboribus peperci. Qua in ſententia me conſtantem fore fidem tibi faciet Tiberius Pompeius fratris procurator, qui & has litteras, & neſcio quid munuſculi, qualia nobis hic domi naſcuntur, ad te attulit; Quod ſi amplitudini tuæ gratum fuiſſe intellexero, mentem quoq; meam ad te obſeruandum venerãdumq; perpetuo propenſam eidem iucundum fore confidã. Vale Ampliſsime Patrone, cuius Deus clementißimus actiones omnes fortunet. Nonis Iunij.* CIↃ IↃ LXXV.

IVLIO MASETO Romam.

VT primum Ferrariam ueni, quo ego ſingulari Dei opt. max. beneficio perueni ſal uus atque incolumis, & communes amicos ſalutaui, præcipueq; collegas meos optimos, & Herculi ſignæ, quòd ad familiaritem tuã Iuli Clariſsime aditum mihi pateficiſſet, maximas gratias egi. Qui ſtatim mihi dixit te eodem ante officio functum fuiſſe, quòd ineundæ meæum amicitiæ tibi auctor fuerit; litteraſq; tuas mihi legit, cum Fabius fratris tui filius lectiſsimus adoleſcens, & ſumma ingenij & doctrinæ ſpe præditus præſens adeſſet. Itaque exclamaui, O incredibilem animi magnitudinem. Quis enim te magnum uirum & excelſum non admiretur, cum te ei velle debere intelliget, qui ad te miſerit, quẽ tuis tot ac tantis ſtudijs ornes? Nam quòd ingenio & doctrina & magno rerum vſu præſtes, quòd omni lepore & uenuſtate affluas, hæc forte tibi cum aliquibus præſtantiſſimis uiris communia ſunt: Vt vero cui dederis beneficium, ab eo te accepiſſe cõtendas, hoc tuum proprium eſt. Quod cum in me ſim expertus, an excellentem virtutem tuam ſilentio præterire queo, ſingularem autem humanitatem ac manſuetudinem tuam ſummis laudibus non efferre? an ſumma tua in me ſtu-

dia

dia non commemorare? Equidem perſuadeas tibi velim me nunquam commiſſurum eſſe, vt hominis gratiſſimi officia a me deſideres. Vnum hoc contra uoluntatem meam, & præter opinionem interdum accidebat, dum iſtic eſſem, quòd cum domum tuam crebro uenirē, vt tuo conſpectu dulciſſimo fruerer, ferè ſemper abeſſes, & dum tu plurimis negotijs obruerere, ac maximis occupationibus diſtinereris, ego optatiſſimo tuo congreſſu carerem: Verum ſortis beneficio quotieſcunque mihi contigit, vt te domi offenderem, quàm dulces mecum ſermones habebas, quàm familiares, vt omnibus præteſerres me tibi valde intimum eſſe? Quare & ſi raro vnà eſſe & inter nos colloqui potuimus, in illa tamen tēporis anguſtia excellens & ſingulare ingenium tuum, ſummam prudentiam, doctrinam eximiam, mores denique tuos ſuauiſſimos ita guſtaui, ut me ægre abs te ſeiunxiſſe credas mihi velim. Cuius collocutionis noſtræ familiariſſimæ ſuauiſſimæq; cum mihi venit in mentem, ita angor animo, vt affirmare audeam, ſi ætas mea ingraueſcens mihi futura non eſſet impedimento, me iſtuc libenter rediturum, vt vberes ex iucundiſſima tua conſuetudine fructus perciperem; Ita enim tui amore incenſus ſum, vt ſatietate nunquàm afficerer: Sed litteræ, quas ad te ſæpe dabo, & à te accipiam, vt ſpero, hoc meum deſiderium lenient. Interea fac vt in animo tuo

inſideam, & perſuade tibi me eximijs tuis virtutibus ſemper deditiſſimum fore. Vale. Vincentius Fantinus tibi multam ſalutem dicit. xv. Kal. Iunij. CIↃ IↃ LXXV.

M. ANTONIO MVRETO Romam.

STATVERAM, *cum primum Ferrariam veniſſem Murete præſtantiſſime epiſtolam longiorem ad te dare, in qua tua innumerabilia in me ſtudia commemorarem, tibiq; gratias agerem immortales; videbatur enim magnitudo tuorum in me beneficiorum longam orationem deſiderare. Sed cum egregia facta tua conſiderare atque perpendere cœpi, ita ſum à ſcribendo deterritus, quòd cognoui tua incredibilia in me merita nullo modo verbis a me æquari poſſe, vt hãc omnem cogitationem abieceriм, ſententiãq; mutauerim. Itaque has perbreues ad te litteras miſi, ex quibus perſpicies, me totis viribus curaturum, quanquàm mihi nunquam ſatisfaciam, & crebra tot ac tantorum tuorũ in me officiorum mentione, & excellentiſſimæ tuæ virtutis, ſingularisq; erga me humanitatis prædicatione, vt hic apud omnes quã gratiſſimus erga te iudicer. Tibi vero me talia ſummi amoris atque obſeruantiæ erga te meæ quotannis ſigna daturum, vt te in viſceribus inhærere, memoriamq; nominis tui mẽti*

meæ

meæ ſemper infixam eſſe credas. Perge tu modo Murete humaniſſime in ea erga me uoluntate, qua hactenus fuiſti; puto enim fore, immo ſpondeo, vt te tot ac tanta mihi beneuolentiæ ſigna & indicia oſtendiſſe non pigeat. Vale ætatis noſtræ decus, teq; Deus opt. max. perpetuo fortunet. xij Kalen. Iunij.
CIↃ IↃ LXXV.

M. ANTONIVS MVRETVS. Paullo Sacrato ſuo.

NVNC *ipſum accepi prandens binas ad me litteras tuas, in eundem à te faſciculũ coniectas, & nuper etiam alias quaſdam tuas acceperam: Sed quibus aliud nihil contineretur, quàm, quod ego maximopere ſcire cupiebam, te iſtuc ſaluum incolumemq; veniſſe, & commemoratio quædam accurata eorũ, quæ tu tibi me præſtitiſſe, cum hic eſſes, prædicas.* Ego *autem, Sacrate mi optime & humaniſſime, ſi negem me cupidiſſime quæſiiſſe occaſionem aliquam declarandi tibi mirifici cuiuſdam amoris erga te mei, mentiar:* Certè *enim & amo te ſingulariter, & meum erga te ſtudium tibi notiſſimum eſſe cupio. Illud vere affirmare poſſum, nihil tibi me præſtitiſſe, aut tua cauſa feciſſe, quo minima pars aut meritorum erga me tuorum, aut meæ erga te voluntatis adæquari queat. Itaque videris mihi nonnunquam*

quærere occaſionẽ exercendæ eloquentiæ tuæ, in eis amplificandis & exaggerãdis, quæ per ſe ita exigua & tenuia ſunt, vt vix compareant. Quid enim tibi à me tributum eſt, in quo cognoſcere potueris, quanti te faciam, aut quantum tua cauſſa cupiam? Cum ipſe contra tam multis tamq; illuſtribus argumentis tuã erga me voluntatem perſpexerim, vt certo ſciam, cum quantum plurimum potuero, diſpunxero, ſemper tamen plus reliqui fore. Sed omittamus hæc. A Tiberio tuo ſeptem inſuia accepi, de quibus amo te plurimum. Quod te quotannis alia miſſurum polliceris, gratum eſt. Ego tibi viciſſim aliquid depromptum e ſtudijs meis mittam. Paludino, Canalio, & cæteris quos iſtic mei amantes eſſe ſcis, ſalutem. Vale. v. Kal. Iun. CIↃ IↃ LXXV. Ex vrbe.

CÆSARI GLORIERIO Romam.

EGO antea Cæſar præſtantiſſime, quãuis te de facie non noſſem, tamen quòd & de tua excellenti virtute multa præclara audiebam, quæ me magnopere delectabãt, & quod cum Paullo Sadoleto conſobrino tibi meo maxima intercedebat familiaritas, te plurimũ diligebam colebamq;. Poſtea vero quam eo vita functo Iacobus frater meus Dei primũ benignitate, Deinde ſummi Pontificis beneficio

tio Carpentoracti Epiſcopus Creatus eſt illi ſucceſſor, ac tu erga illum ſingulare ſtudium ſignificaſti, necnon tot & tanta in eum officia contuliſti, vt ille tibi eo nomine admodũ ſe debere per litteras ſignificaret; ad meum erga te amorem obſeruantiamq́; non modo multum acceſsit, ſed mirum etiã me tui deſiderium tenuit: prompta enim tua in fratrem voluntas, & opera quam ei multam & vtilẽ præbuiſti in expediendo illius negotio, me ita ceperat atque incenderat, vt ego quoque tibi tuo tanto in nos beneficio deuinctus eſſẽ. Quo autem modo cupiditatẽ te videndi explere poſſem, quotidie cogitabam. In ſpem tamen veniebam, ſi ad annum ſacrum peruenire potuiſſem, fore ut tuo iucundiſsimo conſpectu ac optatiſsimo congreſſu frui mihi liceret. Itaque aſſecutus (Deo opt. max. iuuante) id quod optabam. Romam veni, ac ſtatim cum Tiberio Pompeio optimo viro noſtriq́; ſtudioſiſsimo de te communicaui. Qui tẽpus idoneum nactus aditum mihi ad te aperuit. Tu uero continuo me fratrem Iacobi Sacrati Epiſcopi audiens quàm libenter, quàm ſuauiter me excepiſti? Non ne in illo longo ſermone, quem vnà in cubiculo tuo habbuimus, patefeciſti mihi te eum eſſe, qui in colendis amicitijs maxime conſtans eſſes, ac viuam eorum memoriam teneres, qui tibi amore & familiaritate coniũctiſsimi fuere? Cum vero ad Toledi concionem me inui-

taſti; an maius tuæ erga me beneuolentiæ ſignum dare potuiſti; cum me à latere tuo diſcedere paſſus non es dubitantem ne magiſtratus locum occuparem? Quamobrem, mihi crede, meam de te opinionem longe viciſti, non ea tantum ratione, quod iudicio ac magno rerum vſu excellas, de quibus mitto dicere, ne ea attingam; quæ à me nulla oratione explicari queunt, ſed quòd tanta humanitate atque affabilitate præditus ſis, vt etiã ſi nullus ferè dies à negotijs tibi vacuus ſit, ita tamen omnia moderere prudentia tua, vt amicis tuis ex ſuauitate tua ac ſermonũ tuorum dulcedine fructum capere liceat. Quò fit vt te valde ſuſpiciam atque admirer, & cum præſtantiſsimarum tuarum virtutum mihi uenit in mentem, me tanto locorum interuallo abs te abeſſe moleſte feram. Verũ cum Dei voluntas ita tulerit, vt iſtic habitare mihi non licuerit, vbi cum præclariſsimis viris tuiq; ſimilibus aſsidue verſarer, otium, quod hic mihi à viſendo quotidie tẽplo Pontificio datur, in legendo ſcribendoq; ferè totum conſumo, atque dum has nunc litteras exaro, tanta iucunditate afficior, vt tecum colloqui mihi uidear. Ex quibus perſpicies me nũquam tuorum tot in me ſtudiorum obliturum eſſe, teq; memoria ſempiterna culturum. Tu quoq;, ſi Tiberio noſtro mandaueris, vt me tecum in gratia eſſe mihi ſignificet, ſicuti dudum verbis tuis ſalutem

nun-

nunciauit: non enim fas eſt hoc me officium abs te deſiderare, quod grauiſsima tua occupatio mihi iuſte denegare poteſt: at quotieſcũq; occaſio ſeſe offerat, dignitati atq; fratris honori faueris, tam grata mihi erit hæc tui in nos amoris ſignificatio, vt pro ea me tibi perpetuò addictum fore profitear. Vale Cæſar eximie. Calendis Iunij. CIↃ IↃ LXXV.

IO. FRANCISCO COMENdono Cardinali.

CVM *in animo haberem litteras ad te dare* Ampliſsime Patrone, *diu dubitaui quonam ſcribendi argumento vti deberem;* Verſabatur *enim ante oculos & grauiſsimum iudicium tuum, ſumma doctrina, ac maximus rerum vſus, quæ te in ampliſsimo dignitatis gradu locarunt, & ſingularis humanitas, ac manſuetudo, ſuauiſsimaq; natura tua, quæ hominum voluntates ad te diligendum quotidie alliciunt: Si vtrunq; attingerem, quæ mihi facultas orationis erat, vt ad dicendum aggrederer de ijs, quæ verbis explicare non poſſem? Si alterum tantum, mihi ipſi minimè ſatisfaciebam.* In *hanc cogitationem dum incumbo, veniunt mihi in mentem hæ tuæ excellentiſsimæ virtutes, comitas affabilitasq; ſermonis, quæ animum iſtic meum ita tibi conciliarunt, vt amore & obſeruantia quotidie magis in te inflãmarer. Itaq; miſſi reliqua, quibus par mea nõ poterat eſſe oratio:*

In memoriam libenter redegi, quotieſcunq; te conueniebam, quanta me benignitate com-plectebare, quàm ſuaues mecum ſermones habebas, vt illud in te artificioſum admirarer, quòd grauitatem cum comitate ita iungebas, vt, quæ potiſsimum virtus in te eluceret, nemini dijudicare facile eſſet. Quæ dulcis recordatio ita me afficit, vt quòd abs te longiſsime abſim, careamq; tuo iucundiſsimo cõſpectu, vix ferre poſsim. Sed me conſolatur, quòd ſpero fore ne te mei capiat obliuio: Cũ enim impulit me in hanc mentem ſumma tua humanitas, vt me in tuorum numerum aſcripſeris: Tum illa non mediocris tui in eos amoris ſignificatio, quos hic, vt nomine tuo ſalutarem, mihi iſtinc diſceſſuro aperte mandaſti, me adducit, vt certo credam me tibi etiã abſentem gratum fore. Nam ſi ego pro virili operam dedero, ut me agnoſcas concedere nemini, qui te pluris faciat, venereturq́; an diffidere ſummæ bonitati tuæ debeam, ne in multis tuis numerer? Nunquàm ampliſsime Patrone hanc animo de te opinionem imbibam: tot n. iſtic ac tanta in me ſtudia contuliſti, vt de tua erga me beneuolentia dubitare mihi non liceat. Quod ad mandata tua attinet, ſi amplitudini tuæ non parui, vt cum primum Ferrariam veni, eorum domum non acceſſerim; illisq́; ſalutem verbis tuis dixerim, quos nominaſti, deleas me ex animo tuo licet: non .n. gratia ampliſsimi viri ſatis eſſe

me

me dignum iudicabo: Si vero cuncti teſtificabuntur me tua mandata diligenter curaſſe, te rogo atque obſecro, vt non ſolum me in fidem, & clientelam tuam recipias, ſed etiam tibi perſuadeas, quibuſcunque in rebus quæ ad tuam dignitatem, commodumq́; pertineant, ſi opera mea vti volueris, me & diligentia & fidelitate nullo loco amplitudini tuæ eſſe defuturum. Tu quoque ſi me tuo amore fouere perſeueraueris, quem tibi totũ deditiſſimum eſſe iam cognoſcis, ad tot tua in me officia cumulus accedet. Vale Ampliſſime Patrone. vi. id. Iun. CIↃ IↃ LXXV.

PHILIPPO MOCENICO Archiepiſcopo Cypri. Romam.

IANDIV *te amo, vt ſcis, Antiſtes humaniſſime & obſeruo, cuius mei erga te amoris complureis habeo cauſſas, quas nunc commemorare ſuperuacaneum eſt; auxit autẽ meum erga te ſtudium magna tua iſtic mecum familiaritas, & non vulgaris erga me beneuolentia: Nam cum ad te accedebam, quàm ſuauiter vnà colloquebamur, quanta cum lætitia præterita tempora repetebamus? Itaque quanquam tu abes longe gentium, Ego tamen non ſum oblitus tui ſuauiſſimi officij, cum ad ampliſſimum Cardinalem deductus fui, qui tua cauſſa non ſolum me li-*

benter vidit & excepit, ſed etiam quotieſcũque eum adij, tanta comitate ſuauitateq; ſermones mecũ habuit, vt iſtinc abierim vtriq; veſtrum ſumma veſtra in me benignitate deuinctus. At quantum illius amplitudini addictus ſim, & ſtudiorum eius in me recorder, nuper ei epiſtola ſignificaui. Nunc his te litteris ſalutare volui Antiſtes optimè, (mea .n. erga te obſeruantia hoc officium poſtulabat) quæ tibi ſignificent, me nunquam deſinere te abſentem cogitatione complecti, atq; eximiæ tuæ virtutis & multæ humanitatis memoriam quotidie vſurpare. Quòd ſi tu quoque me in animo tuo inſidere patieris, & apud ampliſſimum illum virum me in gratia pones, cuius poſtea erga me beneuolentiam omni obſequio tueri conabor, tanto me beneficio afficies, vt ſi tibi gratiam non referam, nec enim valeo, habiturus tamen ſim permagnam, & curaturus, vt ingratus omnino tibi non videar. Quare ne graueris in dies me tuis ſtudijs ornare; Tibi enim polliceor fore, vt tui facti te non pœniteat. Epiſcopus Carpentoracti frater meus, à quo proxime litteras accepi, te ſalutat & admodum colit, optatq; hoc abs te impetrare, vt ſe ampliſſimo Cardinali commendes. Fac, obſecro, vt ei faueas; vtrunque enim noſtrum tibi eo nomine obligatum fore, facile, vt opinor, vides. Vale iij. Iunij. CIↃ IↃ LXXV.

AVGVSTINO VALERIO Epiſcopo Veronæ.

QVANTA *te videndi atque ſalutandi cupiditate arſerim Antiſtes humaniſſime, dum Romæ eſſem, quo te quoque venturum eſſe ex litteris tuis ante perſpexeram, teſtis erit tibi Paullus tuus, quo cum bis ter de tua excellenti uirtute, & eximia humanitate ſermones longos habui: Qui etiam ante meum illinc deſceſſum ſpem mihi afferebat te ad vrbem fore (ipſe enim de migrado poſt diem feſtum Diui Marci meam voluntatem intellexerat.) atque litteras ſe abs te accepiſſe affirmabat, quibus ei ſignificabas perfectis paſcalibus ferijs nihil te retardaturum. quin ſtatim in uiam te dares. Itaque ſubductis dierum itineri neceſſariorum rationibus magnam in ſpem veni tuo iucundiſſimo conſpectu congreſſuq; fruendi, vt maxima animi cū uoluptate aduentum tuum expectarem. Paucis poſt diebus cum ad Paullum noſtrum iterum adijſſem, ex eoq; quæſiſſem, ec quid de Antiſtite noui? reſpondit ille te ſubito mutata voluntate ſtatuiſſe non ante Verona diſcedere, quam tuam Synodum celebraſſes: quod vt audiui, eâ, qua recreabar, ſpe ita decidi, vt in mærore deinceps verſatus fuerim. Et quòd meæ rationes omnes non ferebāt, vt diutius diſceſſum meū differrem, abij triſtis,*

ac domum veni ſummo Dei beneficio incolumis: Vbi non neglecta tamen rerum domeſticarum cura dies aliquot conſumpſi in ſalutandis ijs, quos mihi colendos propoſui; In quorum numero cùm te præcipue haberem, dum cogito ad te ſcribere, Ecce prodit mihi obuiã Franciſcus Gandinus meus tunc iſtinc veniens, mihiq; nunciat te ſaluum Veronã perueniſſe: Quo nuncio mirum in modum ſum gauiſus: Cuius enim ſalus mihi magis cara eſſe debet, quàm illius, qui cum neceſſitudinis vinculo ſum coniunctus? Quare, quas Romam ad te daturus eram, litteras iſtuc ad te mitto. Ex quibus cognoſces me ſummo adhuc in deſiderio eſſe tui, quod ut expleam, cum primum meo commodo fieri poterit, iſtuc te ſalutatum accedam; nullo enim labore itineris ſuperſedere volo, ne caream eo ſolatio, quod non mediocre ex collocutionibus noſtris, tuoq; benigniſſimo aſpectu capturus ſum. Perſuadeo namq; mihi me abs te ſic amari, vt meus iſtuc aduentus tibi gratus futurus ſit; tu quoque Paulli Sacrati tui, tibiq; tantopere dediti memoriam conſeruare, atque in numero tuorum intimorum habere non deſines. Vale Antiſtes optime. Ferrariæ. viij. Kal. quintil. C I Ɔ I Ɔ L X X V.

IVLIO CANANO Epiſcopo Adriæ.

QVOD *hinc diſcedens pollicitus nobis es* Antiſtes *optime te quatriduo, aut non multo ſerius ad nos rediturũ, præclare certè ſeruaſti:* An *non animaduertiſti, quàm moleſta ſit ÿs, qui amant, diuturna expectatio? An vero te magnopere delectat ita nos ſuauiſsimo tuo cõſpectu priuare, vt deſiderio tui uehementius torqueamur?* Non *profectò* Patroni *benigni eſſet officium.* Ego *quidem ſi amænum gelidumq; locum illum probè ſcirem, qui te iſtic ita retinet, ne ad nos uenias, nihil, mihi crede, me impediret, quin ad te accurrerem, ne diutius tuo iucundiſsimo aſpectu carerem.* Vix *enim ego, qui tui amore captus ſum, te tandiu abeſſe à nobis ferre poſſum; de quo his te litteris admonendum eſſe duxi, vt ſi amas eos, qui tibi tantopere dediti ſunt, quam primum ad nos reuertare, cogitesq;, cum tu mihi onus impoſueris curandi, vt imprimentur decreta tua, nihil tamen te abſente perfici poſſe.* Ego *nõ litteras tuas, ſed te ipſum expecto.* Vale. *Kal.* quintil. CIↃ IↃ LXXV.

FABIO MASETO.
Romam.

LEGI epiſtolam tuam ſuauiſſime, Fabi, quæ me magnopere delectauit, ex ea enim perſpexi te id conſecuturum eſſe, quod tu abũdantia quadam amoris mihi tribuis, ut cum Cicerone aliquando æquari poſſis: Cum enim adoleſcens adhuc ſis, & ita magna dicendi copia præſtes, quid futurũ putem, cum ad maturam ætatem grauiſſimum iudicium acceſſerit? Nam ita ſuaues, ita elegantes ad me litteras miſiſti, ut niſi mihi cognitum eſſet ingenium tuum, & optima indoles, tuas non putarem. Itaque non mittam meo quodam iure te hortari, vt in hoc ſcribendi genere pergas; non enim uereor, ne non ſummam eloquentiæ laudem breui adipiſcare. Quòd autem magnam te ſuauitatem ſentire ſcribis, dum meas ad Iulium Patruum tuum litteras legis, non ne amor erga me tuus ex omnibus partibus ſeſe oſtendit, qui etiam te impulit, vt mihi gratias ageres, quòd earum exemplũ ad te miſerim? Ego vero tuam humanitatem Fabi, atque eximium in me ſtudium agnoſco, quòd cum tu in grauiora ſtudia totus incumbas, illa tamen poſt habueris, vt meas nugas legeres, quo quid dulcius atq; amabilius fieri potuit? Atque ſummam tuam in patruũ obſeruantiam admiror, & ualde probo, quẽ

mihi

mihi ita excuſas, quòd litteris meis non reſponderit, vt elegans ingenium tuum magnopere laudauerim, & in ſpẽ venerim ego quoque fore ſi quando acciderit, vt in ſcribendo tibi ſim negligens, uti pro egregia ac præclara indole tua apud te excuſationi meæ ſemper ſit locus. Quare te nunc abſentem, mihi crede, animo complector, atque virtutibus deditum plurimi facio. Tu quoque ſi mihi in amore reſponderis, ac mei quotidie memineris, vt te facturum oſtendis, me à nobiliſſimo iuuene ac ſuauiſſimis moribus ornato mirifice diligi, quando conſolatio maior mihi ætate iam affecto afferri nulla poteſt, loco magnæ felicitatis ducam. Vale dulciſſime Fabi. Ferrariæ. iiij. idus Quintil.

M. ANTONIO MVRETO i. c. Romam.

LEGI *litteras tuas Murete præſtantiſſime atque perlegi, quæ non modo mihi uehementer gratæ fuerunt: mira enim eſt in eis ſuauitas, ſed etiam mihi riſum mouerunt: Nã mihi attribuis, quòd occaſionem exercendæ eloquentiæ captem in amplificandis ijs, quæ per ſe tenuia ſunt, vt vix appareant; tu uero tantam dicendi facultatem & orationis copiam adhibes ad imminuenda ea, quæ illuſtria admodum atque egregia ſunt, & in excelſo loco abs te geſta, in qui-*

bus nemo conniuere poſſit, vt omnes admiratione ſtupefiant. Et quando non negas oblatam tibi occaſionem declarandæ tuæ in me beneuolentiæ te cupide cepiſſe, omittis tamen id, quod caput eſt, te de me niſi perfectis ijs, quæ expedienda ſuſcepiſti, quæ certè magna & grauia fuerunt, nunquam conquieuiſſe: quod communes iſtic amici probè ſciunt, & nõ ignorat Vincentius Fãtinus collega meus, tuiq; ſtudioſiſſimus, qui mecum aderat. Itaq; tantis me officijs atque beneficijs oneras, vt ea ſuſtinere iam non poſſim: nec ea me prædicare, ſed tacere uis, vt ex litteris tuis perſpicere videor: Tibi autem dicere licere, & quod nihil præſtiteris, quod merita erga te mea æquare poſſit, & quòd tot illuſtribus ſignis meam erga te obſeruantiam perſpexeris, vt ſi plurimum perſolueris, ſemper tamen aliquid reliqui futurum ſit. Atque diſſimulas non videre, dum verbis ampliſſimis, grauiſſimisq; ſententijs tua ſumma in me officia extenuare conaris, quantam veritati uim adhibeas; nec recordari, quot iſtic teſtes adſint tuæ ſingularis in me humanitatis, qui mihi gratulabantur cuncti, quòd in gratia tecum adeò eſſem, vt omnia mea cauſſa velles. Quæ cum ita ſe habeant, eloquentiam tuam Murete, aut ſaltem parem dari mihi velim, vt tecum contendere poſſem, tibiq; demonſtrare, quanta ſit tuorum in me beneficiorum magnitudo, pro quibus magnam tibi gratiam habebo

bebo dum uiuam ; Et quàm grata atque iucunda fuerit mihi egregia & præclara opera tua, quam iſtic mihi nauaſti. Sed cum hoc optare uix liceat, quod reſtat, colere excellentem virtutem tuam memoria ſempiterna, & alia tibi indicia ac ſigna meæ erga te voluntatis poſthac dare non omittam. Tibi nunc acceptum fuiſſe officium illud, quo Tiberius Pompeius meo nomine functus eſt, vehementer lætor, promiſſum quoque, quod ego quotannis ſoluam, tibi fore iucundum gaudeo: Tuū vero vt ſerues, interdum per litteras abs te flagitabo. Vale ætatis noſtræ decus, teq́; Deus immortalis perpetuo fortunet. Ferrariæ xvij. Kal. quintil. CIↃ IↃ LXXV.

IVLIO MASETO
Romam.

NON *queo diuinare Iuli humaniſſime, quid cauſſæ ſit, cum ego ad te miſerim epiſtolam (menſes ferè duo aguntur) ex qua cognoſcere potuiſti, quanti propter eximium ingenium tuum, doctrinam, modeſtiſſimosq́; mores te faciam, quamq́; propenſa ſit mea erga te uoluntas, cur tu alicui ſaltem amico nō mandaueris, vt tuo mihi nomine referret illam tibi redditam fuiſſe, cum tu mihi non reſponderis, quòd à te officium multis occupationibus impedito requirere auſus nunquam fuiſſem? An forte litteræ meæ ad te allatæ non fuerunt, quod valde mihi moleſtum fuiſ*

ſet?

ſet;aut tibi homini occupato nõ gratæ? An in firma es valetudine (quod Deus auertat) aut mei memoriam penitus depoſuiſti, vt ad te ſcribendi amplius abijcienda ſit cogitatio? Quid aliud tibi impedimento eſſe potuerit, ne noui quiquam de te audiam, mihi ſanè haud occurrit. Ac quòd ad primum attinet, mirarer te meas non accepiſſe, cum omnes litteræ à tabellarijs iſtuc fideliter perferãtur, nec vllas vnquam interceptas fuiſſe rumor fuerit. Deinde iniucundas tibi fuiſſe litteras meas, ſuſpicari poſſum, hoc tamen de tua ſumma humanitate dulciſſimaq; natura ſentire non debeo. Quid enim ſi etiam illis tibi obſtreperem, non ne ea, qua præſtas vrbanitate atque induſtria de hoc abs te cælarer? Quòd ſi genere morbi aliquo laborares, non ne ita cognitus es, ac fama nominis tui iſtic ea eſt, vt innumerabiles propè de tuo ſtatu nos erudirent? Denique perſuadeas tibi velim in mentem mihi venire non poſſe, quòd mei oblitus ſis: nam cum tu iſtic nullum mihi beneuolentiæ ſignum non dederis, immo tot ac tanta in me ſtudia contuleris, vt me tibi valde familiarem eſſe cuncti ſentirent, an tu tanta ſolertia ſimulaueris, vt ego crediderim me tibi eſſe cordi, cum tu tamen & uoluntate & animo à me alienus eſſes? de Iulio Maſeto nobiliſſimo viro excellentiq; virtute prædito hanc habeam opinionem? Non profectò: Nã ſi factum etiam huiuſmodi oculis cernerem,

ac manibus attrectarem, me alucinatum eſſe exiſtimarem. Quare non abs te peto vt ad me ſcribas, cũ magnitudine negotiorum ita obruare, vix vt reſpirandi tibi facultas detur: Illud flagito, vt aliquam meas rationẽ; quemadmodum meas ad te litteras perueniſſe certior fiam. Quòd ſi feceris, aliquid in te amoris adhuc reſidere ſperabo. Ego quidem, ſiue amicitiam tollere velis, ſiue colere, nunquam patiar, ut Iulius ex animo meo effluat. Vale ſuauiſsime Iuli. Vincentius Fantinus multam tibi ſalutẽ adſcribit, teq; valde obſeruat. Ferr. vij. Kal. Quint. CIƆ IƆ LXXV.

IVLIO CANANO
Epiſcopo Adriæ.
Romam.

NON *cogitabam ad te ſcribere Antiſtes optime, quòd te ad nos cito reditur ũ eſſe ſperabam, vna .n erat hæc omnium vox. Sed poſteaquam animaduerto te differre aduentum tuum, iamq; omnium opinionem fefelliſſe, tenere me amplius non potui, quin has ad te litteras darem, quanquam lecto adfixus tertiana febri laborarem. Ex quibus intelliges non mediocrem me ex ſubito diſceſſu tuo moleſtiam cepiſſe, quòd præter opinionem mihi accidit, vt inuitus ſuauiſsimo con-*

ſpectu

ſpectu tuo priuatus fuerim: Nam cum pridie eius diei Nuntio *ad te ſchedam decretorum tuorum impreſſam dediſſem,eiq; mandaſſem, vt ex te quæreret, num Typographi opera tibi placeret,ne verbo quidem vno ſignificaſti te de profectione ad* Vrbem *cogitare,quo mihi ſubitus iſte diſceſſus tuus maiori & admirationi & moleſtiæ fuit; Poſtridie enim mane & tempeſtiue ad te accurriſſem, vt te abeuntem oculis & animo proſequerer; in quo nonnullam tuæ erga me beneuolentiæ ſignificationem deſideraui.Sed dices tibi excidiſſe,quòd multæ & graues in animo tuo cogitationes verſarentur; Ego vero reſpondebo, ſi in mente tua inſediſſem, ſicuti tu in viſceribus mihi inhæres, non facile potuiſſe ex animo tuo mei memoriam diſcedere;hic enim te ſcrupulus pupugiſſet, ne quis tot ac tanta,quæ in me quotidie confers, ſtudia ficta ac ſimulata eſſe exiſtimaret. Verum ne nunc de tua virtute ac prudentia temere iudicem,hæc & alia maiora coràm. Interea te rogo & obſecro, cum tibi commodum erit, vt inueſtigare ac perquirere velis, qua in me voluntate ſit* Iulius Maſetus, *binas enim ad eum litteras diuerſis temporibus miſi, ille vero nunquam ſalutem mihi reddidit, nec, quaſi ab amicis hic inops ſit,eius nomine quiſquam.* Quòd *ſi aſſeueret ipſe otium latine ſcribendi ſibi non eſſe; an hoc ab eo requiſierim,ex litteris meis cognoſce; ſi uero propter innu-*

innumerabiles occupationes, quibus diſtinetur; ne litteram quidem ad me miſerit, noli (quæſo) eius excuſationem accipere: datur enim à muneribus quandoq; vacatio. Hoc *ſi mea cauſſa ſuſceperis, facies mihi tam gratum quàm quod gratiſſimum, meq; tibi eſſe cordi facile perſuadebis.* Vale, *&* Deus op*timus maximus reditum tibi fortunet.* Ferra*riæ. vi. idus Sextilis.* CIↃ IↃ LXXV.

IVLIO MASETO.

REDDITÆ *mihi fuerunt litteræ tuæ* Iuli *optime ac præſtātiſſime, amoris atq; ſuauitatis, eximiæq; humanitatis pleniſſimæ, quæ quanta me delectatione affecerint, & cū nondum ſatis firmo corpore ſim, quàm valde recrearint, tu ipſe coniectura aſſequi potes, quem non fugit eas me iandiu deſideraſſe:* Sed *quòd tandem conſecutus ſim id, quod multum ac diu optaui, vt tam ſuaues litteras acceperim, maximam humaniſſimo* Iulio Ca*nano* Adriæ Epiſcopo *gratiam habeo, cuius tu mira dicendi facultate & orationis copia prouocatus, ad me ſcribere ſtatuiſti;* Nam, *vt fateris, niſi clariſſimi illius viri auctoritas tāti apud te fuiſſet, quæ te ad hoc munus obeundum impulit, ea profectò cariturus eram animi iucunditate voluptateq;, quam ex crebra dulciſſimarum litterarum tuarum lectione iā cepi:* Scribis *enim te diuturniori vſurum fuiſ*

ſe

ſe ſilentio, dilaturumq́; , quoad ſeſe occaſio offerret, vt te à multis occupationibus relaxares; poſtea in eo dicendi genere mihi reſponſurum fuiſſe, in quo meas ad te dediſſem. Ego vero, qui te hac eſſe mente diuinare nō poteram, quid interim ſuſpicari debebam, qui nihil penitus de te audiebam? Tu ſuſcipe pauliſper partes meas & cogita quid dicturus fueris; Ego quidem in hanc opinionem nunquam veniſſem, ut tu, qui multis negotijs impeditus eſſes, ac plurimis occupationibus diſtentus, quiq́; maximo te Principi dicaſſes, aliquando explicare te poſſes, ac non quotidie magis implicare. Nec (opinor) qui vitam ac rationes tuas optime norit, aliter de te ſenſiſſet quiſquam. Quare, quòd ab hac ſollicitudine, qua non mediocri ex ignoratione tuæ in me uoluntatis afficiebar, liberatus ſim, & abs te certior factus me in animo tuo reſidere, totum optimo Adriæ Antiſtiti tribuo; Te autem quòd in hac diu tacendi ſententia non perſeueraueris, ac paſſus fueris à viro amiciſſimo tibi perſuaderi, vt tanto me ſtudio proſequereris, laudo mirum in modū & probo. Reſtat vt quid abs te impetrare cupiam, his à me litteris admoneare. Exploratum igitur habeas velim, cum otio abundabis, ſi chirographo tuo mihi ſignificaueris & me abs te diligi, & tibi gratam atque acceptam eſſe voluntatem erga te meam, nihil mihi in vita iucundius vnquam euenturum eſ-

ſe neque optatius. Vale *&* Antiſtitem *no-ſtrum, ſi iſtic eſt, a me ſaluta, & quòd in me ſingulari fuerit officio plurimas ei meis verbis, ſi me diligis, gratias age.* Vale. *vij. Kal. Septemb.* CIↃ IↃ LXXV.

IO. BAPTISTÆ Pignæ.

CVM *antea plurimi te facerem* Pigna *humaniſsime atque doctiſsime propter eximias uirtutes tuas, quibus meritò Sereniſsimo* Principi *noſtro admodum gratus es, ac me quoque abs te amari confiderem, quòd non nulla mihi indicia amoris erga me tui aliquando oſtenderas:* Quanquam *nullam mihi oblatam occaſionem eſſe meminerim, in qua tuam erga me humanitatem ac beneuolentiã experirer,* His *tamen paucis ante diebus cum* Herculem Zanetum *Iuuenem inſigni probitate, & morum ſuauitate præditum, quem mihi adoptaueram quodammodo, atq; ad ſacerdotium elegeram, in numerum doctorum aſcribi curaſſem; cuperemq; eũ* Princi*pi noſtro non ignotũ eſſe, cui (ſi* Dei *volũtas ferret) propter eius optimã indolẽ gratũ atq; acceptum aliquando fore ſperarem, nec eorũ, qui ei ſunt à conſilio, quiſquam verbum de ipſo ullum facere vellet,* In *hac cogitatione dies nocteſq; verſanti mihi occuriſti* Pigna

dul-

dulciſſime, ad quem adirem, cuiusq́; in hac petitione mea auxilium implorarem, & cum te colerem propter excellentem uirtutem tuã, tibi quoque multum debere vellem; ſperabã enim fore, vt hoc me ſtudio ornares. Itaque te conueni, ac mentem tibi meam explicaui. Tu vero quanta me humanitate complexus es, & quàm prompte ac libenter ſpopondiſti te cum Principe ſtatim officio functurum eſſe? Tanta certè cum alacritate, tanta cum ſignificatione voluntatis erga me tuæ negotium ſuſcepiſti, vt mirum acciderit vtrique noſtrum: Nec fefelliſti opinionem meam; Nam te ipſi non modo iuuenem hunc diligentiſſime commendaſſe laudaſſeq́; poſtridie nobis nunciaſti, ſed ab eo reſponſum etiam tuliſſe, cum ſeſe occaſio obtulerit, ſe demõſtraturum, quàm ſibi carus ille mea quoque cauſſa futurus ſit. Quod tuum factum præclarũ vtrunque noſtrum ita delectauit, vt illius memoria apud nos nunquam intermoritura ſit. Quare poſthac sereniſſimo Principi gratiã habebimus maximam, qui ſe benignum erga nos, & noſtri ſtudioſum præſtitit. Tibi autẽ hoc tuo magno erga nos beneficio ita addicti erimus, vt quicquid vnquam facere poterimus tua cauſſa, de nobis large tibi polliceri ualeas; Nullum enim officium prætermittemus, quo nos animo ſaltem tibi gratiſſimos fore cognoſcas, cum re ipſa tecum paria faciendi ſpes nobis omnis erepta ſit. Ego quidem cum

te potiſsimum meis precibus adductum eſſe perſpiciam, vt munus hoc te dignum obieris, ita ſingulari ero in te officio, vt in hoc genere paſsurus non ſim uinci me à quoquam eorum, quos tui ſtudioſisſimos habes. Quòd ſi tibi nimis moleſtus aliquando videbor, cum te familiariſsime vtar, nec grauiſsimæ tuæ occupationis rationem habere: quanquam modeſtiæ fines nunquam tranſire conabor: dulciſsimam naturam tuam ac ſuauiſsimos tuos mores accuſabis, qui me in hanc ſententiam adduxerint, vt tibi grauis eſſe non poſſim. Tu quoque de mea erga te obſeruantia non mediocri cum periculum feceris, non vereor ne non cognoſcas talem eſſe me, in quem cum tot tua ſtudia extent, quotidie maiora conferre velis. Vale doctiſsime Vigna. Ferrariæ x Kal. Octob. CIↃ IↃ LXXV.

MARCO FORTIÆ.
Carpentoractum.

CVM *tertiana febri laborarem Marce optime, allata eſt mihi epiſtola tua, quæ tanta ſuauitate, elegantia, ac tanto lepore condita erat, vt morbum mihi lenierit, nec meũ de illa duntaxat, ſed & nonnullorum amicorum meorum doctorum virorum, qui me ad conſolandum venerant, iudicium fuit. Cum autem gratularis mihi, quòd ex vrbe incolumis redierim, teq; ſperare ſcribis me robu-*

ſtiorem

ſtiorem factum, ad alia itinera facienda propitiorem fore, poſtquam ex ſententia hoc à me confectum eſt; Gratulatio tua mihi iucundiſsima fuit, vtpote quæ ab homine mei ſtudioſisſimo profecta eſt, verum intempeſtiua; languentem enim me offendit, vt non iam valentior ad labores perferendos; ſed infirmior ſim: Et licet putem fore, vt iuuante Deo opt. max. cum calor ſe fregerit, vires denuo colligam, non tamen iter facere cogitabo, niſi alienũ æs ante diſſoluero, quod ſanè magnũ contraxi. Nec eſt quòd mihi ſuggeras, vt illud fratri officium præſtem, quod mutuo amori noſtro reſpondeat (quanquam recordatio tua mihi gratiſsima eſt, & omnis amor tuus ex omnibus partibus erga vtrunque noſtrum ſeſe oſtendit) eum enim & tota mente amplector, & quotieſcunque à me ſacra fiunt, in memoria habeo: Quem etiam è periculoſo morbo ante conualuiſſe, quàm audierim infirma valetudine fuiſſe, quantopere lætatus ſim, tu, qui iudicio atque induſtria excellis, conijcere facile potes; ſummo vero gaudio ex eius ſalute affectam fuiſſe ciuitatem iſtam, ac non mediocrem erga fratrem beneuolentiam præſetuliſſe, intelligere mihi optatiſsimum fuit, non tamen nouum, quòd tale virtutis ſpecimen Antiſtitem fratrem meũ vſque ante hac dediſſe putem, vt animos illorum hominum ſibi iam conciliauerit. De quo etiam affirmare audeo, cum melius totã

is vi-

is vitam, naturam, moresq; ipſorum nouerit, talem eis ſe præbiturum, vt illorum erga ſe voluntatem quotidie magis alliciat, ac prouocet. Tu me amare perge, vt facis, & cum litteræ tuæ me tantopere delectent, quæ me perinde erudiunt de fratris mei ſtatu, ac ſi oculus omnia iſtic cernerem, eas me deſiderare minime patere. Vale ſuauiſſime Marce Ferr. Nonis Octobris. CIↃ IↃ LXXV.

M. ANTONIO MVRETO Romam.

ACCEPI dudum Murete Præſtantiſſime à Ioanne Bolono litteras, quæ maximo me dolore affecerunt: in ijs enim ille mihi ſignificabat te febri tertiana laborare ita graui, vt vehementer afflictarere. ſperare te tamen, vt ipſe aiebat, cito eſſe conualiturum, quòd ſalubri & moderato victu tibi temperares: Nunc autem animo valde ſollicito ſum, quòd nihil de te audio, & magnopere cupio iſtic eſſe: multam enim & vtilem operam tibi præbere conarer, atque hãc tibi ægritudinem, quoad eius fieri poſſet, & conſolando & miniſtrando lenire. Quòd ſi mihi contigiſſet, vt hoc tempore eſſem Romæ, felicem me atque beatum putarem. quòd in infirma valetudine tua meum tibi ſtudium nauare poſſem: Cum vero id aſſequi mihi non liceat, quoniam longo locorum interuallo diſiun-

ſti ſumus, Deum Opt. Max. precari, venerari, atque implorare non deſinam, quotieſcunq; à me ſacra conficientur, vt ſua is benignitate atque clementia ſalutem tibi reddere, atque reſtituere velit. Ego quidem animo nunquã ero tranquillo, quoad te firmo corpore, atque ad recolenda ſtudia tua integra mente cæteriſq; ſenſibus eſſe intellexero; De quo vt certior fiam, ad Bolonum litteras dedi, quem ſpero nuncium mihi iucundiſſimum eſſe allaturum, Et eidem mandatum dedi, vt ſi te in eo ſtatu eſſe perſpexerit, vt litteras legere queas, breues has tibi reddat. Sin: diligentiſſime ſeruet eas domi, vſque dum opportunum ſibi videbitur. Ex quibus cognoſces me admodum ægre ferre, quòd apud te tantum virum tamq; admirabilem non recte ſit, quem optarem vitam ad ducenteſimum annum perducere, ſi voluntas Dei opt. max. ita ferret, vt tuam ſingularem doctrinam, incredibilem eloquentiam, diuinum denique ingenium guſtare omnibus fas eſſet: quem enim cum Mureto ſummo illo viro conferre poſſimus, non habemus: quod non meum tantum, ſed præclariſſimorum & doctiſſimorum etiã virorum eſt iudicium. Quare cum te mihi amicior nemo ſit, quod tuæ ſummæ benignitati tribuo, qua etiam impulſus mearum iſtic rerum omnium patrocinium ſuſcepiſti, ego vero tibi ob tua tot, ac tanta in me merita ita addictus ſim, vt viam tibi ſatisfaciendi me

nun-

nunquam reperturum certò ſciam, ſi te nunc carerem, (quod omen Clementiſsimus Deus pro infinita bonitate ſua prorſus auertat) quo animo, qua mente eſſe me putares? hac, mihi crede, luce diutius frui non curarem, quòd omne mihi ſolatium ereptum eſſet: Cum enim mihi venit in mentem te iſtic eſſe, teq; eum eſſe, quem mihi perpetuo colendum propoſui, profectò in memoria nominis tui conquieſco. At ea de tuo ſtatu, quæ mihi grata & iucunda erunt, Deo opt. max. adiutore me cogniturum eſſe confido. Cura valetudinem tuam Murete humaniſsime. Idibus Octob.

CIↃ IↃ LXXV.

GVLIELMO SIRLETO
Cardinali. Romam.

SVPERIORIBVS *diebus Ampliſsime Patrone mandaui Tiberio Pompeio viro optimo mihiq; amiciſsimo, cum ſibi opportunum videretur, meo te nomine vti ſalutaret ac veneraretur, tibiq; ſignificaret te à me mirifice coli, tuamq; ſuſpici excellentiſsimam virtutem, hoc enim illius officium apprime gratum mihi fore. Qui me per litteras certiorem fecit ſe mandatum meum diligenter executum fuiſſe, & hoc à te reſponſum tuliſſe, ſi vlla ſeſe occaſio offerret, te mea cauſſa ea eſſe facturum, ex quibus perſpicerẽ me abs te vehementer amari. Quo ex nuncio*

tanta lætitia ſum affectus, vt nihil vnquam in uita iucundius euenisse mihi in mentem veniat: atque incredibilem tuam humanitatem magnopere admiratus ſum, quæ te ad fouendum me ſtudio tuo impulerit. Quis autē non miretur te ſapientiſsimum virum, ac laudibus ad cœlum tollat? Et cum præſtantiſſimis tuis virtutibus perfeceris, vt ſumma amplitudine dignus fueris exiſtimatus, etiam nō obſtupeſcat, ſi audierit tantam eſſe manſuetudinem, ac facilitatem tuam, vt me ſeruum tuum in mente tua infixum eſſe, nec mei memoriam ex animo tuo diſcedere patiare? Nonne fortunam meam omnium diuitijs anteferet? Quid dixi fortunam? cum ſanctis doctoribus, Auguſtino præſertim & Chryſoſtomo odioſum hoc nomen ſit? An non ſummo Dei immortalis beneficio me felicem iudicabit, qui ampliſſimi viri gratia & beneuolentia munitus ſim? Equidem cum nullo merito meo ſim hoc aſſecutus, gratiam Deo opt. perpetuam habeo, qui te afflauerit, vt dignum me ſtatueris, quem tu tua benignitate complectare. Tibi vero ita obſtrictus ero, quòd me in tuorum numerum aſcripſeris, & in clientelam receperis, vt me ſemper in tua poteſtate fore perſuadere tibi debeas. Quare tu perge in hac eſſe ſentētia vt me totum tuū eſſe velis: Ego autem, ſi re tibi non ſatisfecero, quod cogitare nedum optare non debeo, efficiam tamen ſumma mea in te obſeruan-

tia,

tia, & crebra tuorum in me officiorum commemoratione, vt me tibi, quoad ſpiritum ducam, gratiſsimum eſſe iudices. Vale Ampliſſime Patrone. v. id Noueb. CIƆ IƆLXXV.

ALEXANDRO SACRATO
Equiti Hieroſolimitano.
Contrapadum.

IN *meo è ſalſis aquis reditu vnà cum fratre tuo Hercule Sacrato Antiſtite Comaclenſi optimo atque humaniſsimo libenter ſubſtiti in villa Contrapado, cum te ibi eſſe audiui: In ſpem enim veni fore, vt optatiſsimo iandiu mihi dulciſsimoq; conſpectu tuo atque congreſſu fruerer, & mãſionis illic meæ vberrimum fructum caperem: Nec mea me feſellit opinio: Nam primam noctis partem ſuaui noſtra collocutione non ſolum traduximus, ſed & in eos incidimus ſermones, vt tu ſtatim admotis abs te volumini lucubrationum tuarum manibus, earum aliqua mihi legeris quibus reconditos tuos ſenſus tenere poſſem; In quo magnopere tuum acre iudicium probaui, & eloquentiam ac ſententiarũ grauitatẽ vehementer admiratus ſum. Quàmquam enim te ſtudijs litterarum valde delectari, ac præcipue hiſtoriarum lectione audieram, nunquam tamen te tam eleganter, atque docte ſcribere putaſſem. Itaque & meam de te opinionem longe viciſti, & miram mi-*

hi tecum ſæpe colloquendi cupiditatem inie-ciſti. Quod vt conſequar, quotieſcunque occa ſio feret, eam libenter arripiam, vt eximium ingenium tuum ſuſpiciam magis, & ex tua iucundiſſima conſuetudine magnum ſolatiũ capiam. Interea para te, vt me non tanquã aliqua tibi affinitate coniunctum, ſed vt tuis egregijs virtutibus deditum libenter exci-pias, Ego vero curabo vt intelligas, quanti te faciam, & quantopere me abs te amari cupiam. Vale. Ex ædibus noſtris. Idibus Nouemb. CIↃ IↃ LXXV.

IVLIO MASETO
Romam.

TAMETSI *nõ ignoro præſtãtiſſime Iuli te grauiſſimis occupationibus ita diſti-neri, vt vix tibi ad has litteras legendas fo-re otium putem: Ego tamen veritus, ne me ex animo tuo obliuione delere incipias, ſatis eſſe duxi, ſi ad manus tuas illæ peruenerint, quæ te ad mei memoriam reuocent: Neque enim me planè ocioſo eſſe animo patitur tri-tum illud ſermone prouerbium: Qui ab ocu-lis abſunt, eos ferè etiam à memoria amicorũ abeſſe. Quod præpotentibus viris vitio da-ri ſolet, quorum opes, vt ait Cicero, fideles amicitias excludunt. Verum ne quid tale de te ſuſpicer, facit cùm excellens tua virtus, tùm ſingularis humanitas, quæ cum mihi per ſua-*

ſuadeant me in mente tua inhærere, ſi tibi quoque ſuaſerint, cum ad Signam collegam meum litteras dederis, in ijs vt mihi ſignifices nihil de tuo erga me amore detractum eſſe, affirmo tibi fore vt magna me cura libe-res. Nam ego qui te tanti facio, quanti fortaſſe alium neminem, tecum in gratia perpetuo eſſe mirum in modum cupio. Accedit ad hanc animi mei ſollicitudinem, quòd de humaniſſimo Adriæ Antiſtite nihil audio, à quo me ſolere amari; nunc vero in memoria non haberi ex eo facile intelligo, quòd mecũ ſilentio vtitur. Eum tu excita, quæſo, ac mei ſummi in illum amoris, atque obſeruantiæ fac vt meminerit. Ex omnibus enim ſtudijs tuis in me atque officijs, quæ maxima ſunt, hoc ſcito fore mihi adeo gratum, vt pro eo tibi perpetuo ſim debiturus. Vale Iuli humaniſſime. iij. idus Ianuarij. CIↃ IↃ LXXVI.

FABIO MASETO. Romam.

ETSI *egregia te indole & eximio acriq; ingenio præditum eſſe antea cognoram ſuauiſſime Fabi, vt omnia ſumma à te atque illuſtria expectarem, non tamen arbitratus vnquam fuiſſem te tale artificium excogitare potuiſſe, quale in tuis litteris ad Herculem Signam animaduerti. Tanto enim lepore tãtaq; verborum ſuauitate ac ſententiarum gra*

uitate orationem tuam condiuiſti, cum mihi dulciſſima ſalus abs te miſſa eſt, ut me ad ſcribendum excitaueris. At cum meum officium tacite requirere videaris, aſtute agere opus non fuit, cum ego, ſi hoc in genere ſtudium meum non aſpernatus fueris, deſideriũ tuum explere cupiam; Munus enim meũ eſt omnia moliri, omnesq́; vias perſequi, vt gratiam abs te ineam, atque in animo florentiſſimi illius iuuenis penitus inſideam, cuius imaginem quotidie in oculis fero, cuiusq́; amplitudinem ob eximios eius mores atque doctrinam longe proſpicio: Nam cum ætas mea iam valde ingraueſcat, ea conſolatione ſuſtentari debet, vt in amore & adoleſcentia conquieſcat tua, & (dum hac luce fruor) noſtra per litteras collocutione recreetur. Hac ego mente cum ſim, ſtatui, ſi per multas occupationes meas mihi licebit, te inuitare vt ad me ſcribas: nullam enim maiorem voluptatem capere poſſum, quàm in eo omnem cogitationẽ locare, vt mei memoria apud te vigeat, teque nonnunquam de ijs certiorem facere, quæ ad famam exiſtimationemq́; tuam pertinere mihi videbuntur: Et quamuis iſtic habeas clariſſimum virum patruum tuum, cuius cõſilijs & monitis maximas ſis non fortunæ ſolũ & honoris ſed etiam virtutis acceſſiones conſecuturus, nihilominus tamen ſpero ita gratũ tibi fore propenſum hunc animũ erga te meum, (intelliges.n. quãti ſemper te fecerim, quãq;

te

te filij loco duxerim) vt te in amore mihi reſponſurum eſſe facile credam. Reſtat vti te rogem, immo abs te flagitem, vt poſthac litteras meas omnes apud te mea cauſſa ſeruare velis. Nam cum euenturum eſſe non dubitandum ſit, vt vir ampliſsimus euadas, ſpero fore, ſi forte eas tibi contigerit in manus ſumere, cum è vita diſceſſero, vt me de te recte auguratum fuiſſe perſpicias, meiq; memoriam renouando, ſingularem meam erga te beneuolentiam ſuauiſsime commemores. Interea Patruum tuum ſummum virum meis verbis ſaluere iubebis, quem à me iampridē mirifice coli non neſcis, & pro cuius eximia humanitate, atque liberalitate, qua me iſtic præſentem complexus fuit, illi admodum debeo, eumq; obſecrabis, vt me ſecum in gratia eſſe ſinat, meq; in numero intimorum ſuorum reponere uelit: magno enim me beneficio ab eo affectum eſſe putabo. Vale optime, ac dulciſsime Fabi. xviij. Kalen. Decembris.
CIϽ IϽ LXXVI.

EIDEM ROMAM.

SERIVS elegantiſsimæ epiſtolæ tuæ reſpondi humaniſsime Fabi, quòd multis occupationibus impeditus fui, quæ me à ſcribendo retardarunt, eam tamen ſæpe legi. quæ me ita delectauit, quòd in ipſa ſincerum animum tuum, & egregiam tuam erga me

voluntatem intuebar, vt nullam iandiu voluptatem maiorem perceperim. Sed tria illius epiſtolæ tuæ capita mihi tacita prætereũda non ſunt, quin ad illa reſpondeam. Ac primum quòd ampliſſimis me laudibus in cælum tollis, idq; mirabili copia dicendi & ſuaui præſtas, non ne animaduertis te nimia amoris abundantia impulſum, ea mihi tribuiſſe, quæ arbitro etiam Iulio patruo tuo viro præſtantiſſimo admodum impudens eſſem, ſi in me agnoſcerem? an putas abunde mihi ad laudem futurum non eſſe, ſi me honeſta appetere, & virtute delectari prædicaſſes? Verum dulciſſime Fabi cum hæc ſcribebas, ſomnians, opinor, imaginẽ alicuius excellentiſſimi admirabiliſq; viri expreſſiſti, atque effinxiſti, eamq; ſingularibus honoribus decoraſti eloquentia tua; non enim dubito, ſi patruum tuum conſuluiſſes, cuius ego ſincero, ac ſubtili iudicio ſtare volo, quin ille dixiſſe te incredibile quiddam, & extra cãcellos egreſſũ eſſe affirmaturus fuiſſet; Quod poſt hac munus, vt ſemper obeas, te meo quodam iure hortor, & quotieſcunque dignum quid tibi conficiendum erit, odorere ſagaciſſime quid ipſe ſentiat: cum enim tua virtute primum atque induſtria, deinde eius ope & ſtudio ad excelſum dignitatis gradum ſis euo laturus, quanto eius conſilia plena fidelitatis adiumento tibi futura ſint ad eum conſequendum, re ipſa tandem perſpicies. Secundum ca

pus

put mira me profectò lætitia aſſecit: Nam cũ *mihi polliceris quibuſcunque in rebus mihi vſu uenerit , ut opera atque induſtria tua egeam, te mihi neque dictis, neque factis unquam defuturum, quantum hoc tuum ſingulare erga me ſtudiũ me ſenem recreauerit, coniectura aſſequi potes .* Quid *enim in vita mea dulcius mihi, atque optatius contingegere poteſt, quàm me iuueni gratioſo eſſe cordi?* At, *mihi crede, ſurdo fabulam non narraſti;* Epiſtolam *enim tuam ſaluam ſemper domi apud me ritinebo, vt quotieſcunque occaſio ſeſe obtulerit, eam proferre poſſim, quæ perinde ac* Tabul*æ publicæ , de tua erga me voluntate teſtificetur .* Itaq; *ego tecum ſerio agam , ſi tu fortè iocatus es , promptumq; iſtum animum gratum mihi atque acceptum fuiſſe tibi re ipſa demonſtrabo; de immutanda vero voluntate tibi non eſſe integrum , ſi tu inconſtantiæ ſuſpitionem pertimueris.* Sed *hæc hactenus .* Denique *in extrema epiſtola tua, quòd me rogas , vt te diligere perſeuerem, an de mea ſtabilitate & conſtantia times, cum tibi ex ſuperioribus litteris meis me tuam beneuolentiam appetere conſtet, ne non in amore tibi reſpondere velim?* At, *quoad uiuam, ſemper te magnopere diligam. & ſpero propediem fore, vt te uirum excellentiſſimum valde obſeruem .* Iulium *patruum tuũ ſummum, atque ornatiſſimum uirum ſalutabis meo nomine, cuius humanitati eximiæ tri-*

buo, quód de me rectè ſentiat, mihiq́; faueat, Illius tamen opinioni de me, & eum colendo, & egregias ipſius laudes prædicando, aliqua ex parte reſpondere conabor. Vale dulciſſime Fabi, & Muretum illum præſtantiſſimum, ac doctiſſimum virum, quo cum familiaritatē iam tibi intercedere ſuſpicor, à me ſaluere iube, & me tibi mandaſſe, vt iſtas ei litteras reddas, fac vt ſciat. iiij. Non. Ian. CIↃ IↃ LXXVII.

M. ANTONIO MVRETO
Romam.

SVMMA *tua virtus & humanitas incredibilis* Murete *præſtantiſſime iampridem fecit ſi diu tacerem plurimis diſtentus occupationibus, quæ me & à ſcribendo & à ſtudijs meis hactenus auocarunt, vt ſperarem te meam excuſationem benigne fuiſſe acceptu-rum:* Nunc *vero, & ſi moleſtijs & curis domi foriſq́; vacuus non ſum quippe qui multis adhuc angor, differre tamen amplius nolui, quin breues has ad te litteras darem, ne fortè me tui oblitum putares, qui mihi hæres in viſceribus, cuiusq́; memoriam & in ſacris meis, & in ſermone quotidiano libenter vſurpo.* Quid *autem me imprimis impulerit ad ſcribendum quæris? mirificus (mihi crede) meus erga te amor, vehemensq́; diſiderium de tuo ſtatu intelligendi.* Nam *iandudum nihil*

nihil de te audio, & quid agas planè ignoro: Careo etiam Ioannis Boloni *litteris ſuauiſsimis quibus me aliquando valde recreauit, cum te in ſacerdotum numerum aſcriptũ fuiſſe mihi nuntiauit, deinde paucis poſt diebus ſacra celebraſſe, ex quo nuncio tanta tũc lætitia me perfuſum eſſe memini, quòd eum, quem propter ſingularem eius uirtutem maxime admirarer, collegam nunc haberem, vt nunquam iucundius quicquam audierim:* Itaque *cum & ſileat* Io. Bolonus, *& cæteri iſtic amici mei,* Tiberius *quoque id quod ſcire aueo, ſilentio prætereant, & vt perſpicio, etiam frigeant, mihi in hac anxia de te cogitatione verſanti procraſtinare uiſum non eſt quin de me te certiorem facerẽ, tibiq; ſignificarem quanta ardeam cupiditate litterarum tuarum, ex quibus cognoſcam, vtrum apud te ſit vt volo, & opto, tecumq; proſpere agatur, & an mei memoria apud te vigeat. Quòd ſi me dignum cenſueris, quem ſingularibus tuis ſtudijs ornes, præcipuè vero ſuaui chirographo tuo à cura & ſollicitudine liberes, nõ ſolum perpetuam pro tua maxima in me benignitate gratiam tibi habebo, ſed te uitam etiam mihi dediſſe putabo.* Vale *ætatis noſtræ decus. iiij. no.* Ian. CIↃ IↃ LXXVII.

CÆ-

CÆSARI GLORIERIO Romam.

LITTERAE *Tiberij Pompeij noſtri ſemper quidem mihi gratæ fuerunt præſtantiſſime, & humaniſſime Cæſar, ſed nuper tanta me lætitia affecerunt, cum ille me tuis verbis peramanter ſalutauit, ut nulla res me magis unquam delectauerit. Itaque ego te, quem antea mirifice colebam propter eximias tuas uirtutes, admirari magnopere cœpi, quòd cum toto pectore, tota cogitatione, tota deniq; mente induſtriaq; ſummo Pontifici egregiã operam nauando in chriſtianam remp. incumbas, uiuam etiam Paulli tui memoriam teneas: Nam Cæſarem profectò reipſa agis. Quid enim magis Cæſareum eſt, quàm cum ſumma uirtute maximoq; rerum uſu ſingularis humanitatis & comitatis cõiunctio? Quid incredibile magis, quàm te in maximis occupationibus tantisq; negotijs, vt ne reſpirandi quidem, nedum de corporis ſalute cogitandi ullum tibi otium ſit, amiculi tamen abſentis recordari potuiſſe? Tu tamen mihi demonſtraſti ex animo tuo me nunquam effluxiſſe, ac meam de te opinionem longe uiciſti. Quo tanti uiri ſtudio in me non mediocri quid à me deſiderari poteſt mihi magis honorificũ? Equidem eam mihi eloquẽtiam dari uelim, quæ tuis præſtantibus uirtutibus par eſſe poſſit;*

ſit; Nam hoc tuum factum egregium atque illuſtre celebrarem; quòd cum à natura mihi denegatum fuerit, vt talis ſim, qui mea oratione tuas laudes in aſtra tollere valeam, crebra tamen earum commemoratione aſſequar, vt omnes intelligant pro tua non obſcura in me beneuolentia cupere me abs te quam gratiſſimum cognoſci: De qua ſi tibi immortales agam gratias, non planè mihi ſatisfacio, nec ſi perpetuam habeam, referre autem ita conabor, vt ſingulari poſthac ſim in te officio, & perpetuo tibi debeam, Tu verò, poſteaquam me dignum exiſtimaſti qui tecum ſim in gratia, perge (obſecro) in hac ſententia, vt velis me in tua mente penitus inſidere; omnibus enim viribus elaborabo atque enitar, vt te tot in me ſtudia contuliſſe, atque amoris ſigna dediſſe nunquam pæniteat. Vale Cæſar optime atque eximie. Prid id. Ianua. CIↃ IↃ LXXV.

GVLIELMO SIRLETO Cardinali. Romam.

CVM *id memoria repeto, quod prioribus litteris ad te ſcripſi, me uidelicet omnibus viribus elaboraturum, ne vnquã ex animo tuo effluam, & nihilominus aliter nunc tibi non iniuria videri poſſe animaduerto, vereor Sirlete vir clariſſime, ſi fortè adhuc non nullam Sacrati tui memoriam retines, vt tibi perſuaderi*

deri poſsit hoc non accidiſſe aut culpa aut negligentia mea: Si uero mei penitus oblitus es, nec amplius aliquid in te amoris reſidet, ne cogar rurſus præſtantiſsimum Muretum meum, qui me tibi reconciliet, aduocare. Non deſpero tamen fore, ſi has, quas ad te nunc ſcribo, litteras libenter legeris, in quibus ſilentij mei rationem paucis tibi reddo, et ſi ad eas patrocinium eximij Mureti acceſſerit, vt ſententiam mutes, atque ab hoc timore mæroreq; recreandum me, & in veterem gratiam à te reſtituendum eſſe ipſemet iudices. Scito igitur poſt meum iſtinc diſceſſum, paucis poſt diebus quàm binas ad te litteras miſeram, matrem meam primum vehementem in morbum incidiſſe (ægrotauit enim ſex ferè menſes) deinde ex eo mortuam eſſe; Tum duos fratres non longo interuallo è vita migraſſe, diemq; ſuum obijſſe. quorum mors propter eorum probitatem ac bonos mores acerba mihi fuit, matris uero acerbiſsima, in cuius prudentia bonitateq; ita conquieſcebam, vt omnes curas domeſticas in eius ſinu deponerem. Itaque cum eis eodem quidem anno, diuerſis tamen temporibus & menſibus funus fecerim, quàm mihi luctuoſus fuerit annus ſeptuageſimus ſextus & tot carorum capitum amiſsione, ob quam multis incommodis atque difficultatibus affectus ſum, & rei familiaris iactura detrimentoq; & (quod caput eſt) meorum ſtudiorum intermiſsione, tu,

qui

qui ſingulari prudentia, grauiſsimoq́ iudicio præditus es conijcere facile potes. Sed certe maximæ & incredibiles curæ, ac multæ cogitationes me à perpetuo officio meo auocarunt, & animum ad domeſticas res tuendas traduxerunt; De quibus acerbe afflictatus, & hactenus ſilui, non quòd ampliſsimi Sirleti, cuius memoria iãdudũ in viſceribus inhærens nunquã ex animo meo diſceſsit, ob oculos quotidie non verſaretur imago, ſed quòd ita afflictus eram, vt interdũ vix vllũ ſenſum haberẽ; Et cæptum inſtitutum non ſeruaui hac nimirũ de cauſſa, quòd & ea orbatus erã, cui domus ſummæ curæ eſſet, & nondũ repererã, cuius probitati ac fidei res meas domeſticas tuto committerẽ. Quibus moleſtijs cũ paululum leuari videar, animo & cogitatione eos numerare cæpi, quibus omnia officia deberẽ. Ac tu ampliſsime Patrone occurriſti primus, quem epiſtola ſalutarem, ac reuocarem in memoriã Paulli Sacrati tui, decebat enim amplitudinem tuam, quam ego meo iudicio admodum colendam mihi ſuſcepi, excellentiſsimarũ tuarũ virtutũ fama impulſus, cum eã de facie ante nõ noſſem, principem nũc locum habere, ex qua optime perſpicies, licet aduerſa tẽpeſtate iactatus fuerim, me tamen in te magnopere obſeruando venerandoq; conſtantem ac firmum fuiſſe, ſemperq; fore, & memoriam nominis tui, tuorumq; ſtudiorum ampliſsimorum,

quibus iſtic abs te ornatus fui, nũquam apud me inermorituram eſſe. Hanc tibi reddet Tiberius Pompeius, ac meæ ſummæ erga te obſeruantiæ euidens tibi inditium re ipſa oſtendet. Cui ſi mandaueris, vt tuo me nomine hortetur, bono vti animo ſim, ac mihi nunciet & gratam tibi fuiſſe incredibilem meam erga te uoluntatem, & de tua erga me beneuolentia nihil penitus ob taciturnitatem meam & officij intermiſſionem detractum eſſe, atque imminutum, conſolatione hac ita recreabor, vt hic vnus nuncius priſtinã mihi alacritatem redditurus eſſe videatur. Vale ampliſſime Patrone, quem Deus opt. max. Saluum diutiſſime ſeruet. Ferrariæ. viij. Kalen. Maij. CIƆ IƆ LXXVII.

IO. MORONO CARDINALI.

SI ego & tuæ ſummæ dignitatis, ſummæq; auctoritatis, & grauiſſimarum tuarum occupationum ampliſſime Patrone rationem haberem, nunc profectò non auderem tibi nugis meis obſtrepere. Quis enim ego ſum, qui formidare non debeã, ne te minime ocioſum, & in cogitatione rerum maximarum die noctuq; verſantem obtundam? Sed cum tuam ſingularem humanitatem, comitatem, affabilitatemq; ante oculos mihi propono, menteq; intueor incredibilem illam mira cũ grauitate ſermonis tui ſuauitatem, qua me ſemel

primum

primum eo in loco, qui lacus obſcurus vocatur, benigniſſime excepiſti, vbi quòd principum horum nullus adhuc illuc venerat. ſuauiſſimum conſpectum tuum contemplari, ac tecum dulciſſime colloqui paulum mihi licuit, iterum deinde ac tertio in huius ciuitatis arce meam tibi ſalutationem gratam fuiſſe hilari fronte declaraſti, in ea ſum opinione, vt meas quoque litteras tibi non iniucundas fore mihi perſuadeam. Ex *quibus illud ſanè cognoſces, maxima me lætitia affectum fuiſſe, quòd quoties te ſalutaui, de fratre meo* Epi*ſcopo* Carpentoracti *toties ex me ſtatim quæſiſti, an apud illum recte eſſet, vt non mediocris tua in eum beneuolentia vel maxime apparuerit, cuius recentem memoriam conſeruares.* De *qua re eum ſubito admonui, ipſiq; mirifice gratulatus ſum, quòd inſideat in animo ampliſſimi atque ſapientiſſimi* Moroni, *cuius virtus incredibilis ac diuina, & illuſtria glorioſaq; facta (quis enim unquam aut poſt hominum memoriam à quoquam plures legationes quam ab amplitudine tua prudentiſſime & integerrime, ſummaq; omnium cũ admiratione obitas, aut maiores pro fide catholica & eccleſia Sancta labores axantlatos fuiſſe legit, aut audiuit?)* O*mnibus gentibus adeo clara & inſignia ſunt, vt nullum regnum & nulla natio eũ in annalibus ſuis iam inſcriptum immertalitati non mandauerit;* Ego *vero triumpho, & gaudeo fratrem*

meum

meum à te tali viro, qui dignitatis tuæ ſplendorem obtines, & ampliſſimis monumentis memoriam nominis tui conſecrare nō ceſſas, tot ac tantis beneficijs quotidie augeri, ad cuius ſummam gloriam, cum accedat etiã tanta humanitas, benignitas, manſuetudo, vt nihil te ſuauius excogitari queat, ecquis vnquam reperietur, qui ſibi hoc arroget, vt te imitari ualeat, nedum par tibi futurus ſit? Quare cum clariſſimi Moroni, & ſingulari bonitate præditi præſtantiſſimas virtutes & actiones omnium mortalium fama celebratura ſit, an frater meus & ego, qui tantum tibi debemus, vt ſi pro te vitam profunderemus, ne minimum quidem reſponderemus tuo erga nos amori, incredibilium tuorum in nos officiorũ meritorumq́;, dum hac luce fuimur, memoriã vnquam deponamus, eamq́; deinde non excipiant poſterorum noſtrorum omnes anni conſequentes? Equidem cum tu pro tua perſpicaci prudentia, acerrimoq́; ingenio animum noſtrum iandiu tuæ amplitudini valde addictum intueare atq; perſpicias, tibi certè nunquã dubium erit, cum ingrati animi crimen horreamus, quin tales nos præſtare conemur, quales tu libenter foueas ac tueare, multumq́; in eo operæ ac laboris conſumamus, vt tuam in nos beneuolentiam in dies magis prouocemus. Interea, quæ Tiberius Pompeius iſtic fratris procurator ſummæ noſtræ erga amplitudinem tuam obſeruantiæ venerationisq́; ſigna

gna illius verbis & meis dedit, ea ſi tibi grata acceptaq; fuiſſe intellexero. Epiſcopum Carpentoracti, & nos qui ab eo pendemus, ſemper tibi cordi fore ſperabo. Vale ampliſſime Patrone, quem nobis Deus clementiſſ. diu incolumem ſeruet, omniaq; illius cōſilia, & grauiſſimas cogitationes fortunet. Ferrariæ. Kal. Maij. CIↃ IↃ LXXV.

NICOLAO THALAMIO.
Regium.

VENI Ferrariam IX. *Kal. Iunij, ſummo Dei immortalis beneficio incolumis, læto atque hilari vultu tùm à domeſticis, tùm poſtridie mane à collegis meis, permultiſq; amicis alijs exceptus fui; Sed nihil penitus me delectauit Thalami ſuauiſſime; omnia inſulſa & inſipida mihi viſa ſunt: incredibilis enim ſuauitas humanitatis illius, qua me iſtic clariſſimus atque optimus Antiſtes noſter Martellius complexus fuit, in mentē quotidie mihi veniebat: Et ego recordatione tuæ iucundiſſimæ conſuetudinis familiaritatiſq; ita fruebar, vt me iſtic adhuc vobiſcum eſſe putarem. Nec me latebat cum primum à vobis diſceſſiſſem, ſtudio veſtri arſurum eſſe; Sed rationes meæ diuturnam abſentiam meā ferre non poterant. Itaque dum in expediendis atque conficiendis negotijs meis verſabor, cōplebitur annus, & ego iſtuc accurrā, ſi De*

ſi Deus *opt max.nobis largitus fuerit, ad id tempus vt ſpiritum ducamus, & vſurã eius temporis qua caruero intermiſſo eo fructu, quem ex frequenti conſpectu ac ſingulari benignitate illius ſummi & ornatiſſimi viri capturus eram, ſi iſtic diutius manſiſſem, crebritate officiorum, ac mea non mediocri erga ipſum obſeruantia ſarciam:* Teq; *forſitan minus occupatum nanciſcar, vt comitatem affabilitatemq; tuam, leporem deniq; illum qui in te magnus eſt, me affatim guſtaturum eſſe ſperem.* Interea *me amabis quod opinor facis:* Ac *grauiſſimum & integerrimum* Epi*ſcopum noſtrum à me ſalutabis, atque illius erga me beneuolentiam tueri non deſines.* V*ale* Thalami *dulciſſime.*Ferrariæ.*iiij.*Kal. *Iunij.* CIↃ IↃ LXXVIII.

LÆLIO ARLOTO.
Regium.

PLERIQVE *dictitant* Læli *præſtantiſſime amicitiam cum aliquo iungere facile eſſe, eam vero conſeruare, & officijs colere difficile.* At *ego qui nuper iſtic in tuam familiaritatem ueni, ad quam non humanitas ſolum tua eximia, comitasq;, ſed ſuauis etiam illa atque amoris pleniſſima ad opipare paratum conuiuium inuitatio aditum mihi aperuit, difficultatem hanc refugiam conglutinatam à nobis amicitiam tuendi, & valde excellen-*

cellentis in omni doctrinarum genere atque optimarum artium ſcientia uiri ſtudium erga me, qui tibi fortè à litteris abhorrere nō ſum viſus, non mediocre reſpuam, à meq; deficiā? Non committam profectò, vt á quoquam nedum à te iure reprehendi queam. Itaque de hac propenſa mea in te uoluntate his te litteris certiorem facere volui, vt me tui ſemper memorem fore intelligas. Quòd ſi fortè tibi vnquam eueniat dubitare, ne non ſemper eodem erga te animo futurus ſim, adeſt iſtic clariſſimus & integerrimus Antiſtes noſter Franciſcus Martellius, qui de mea firmitate atque conſtantia tibi ſponſor erit; confido enim illum (qui eius in me non obſcurus eſt amor) officium hoc mea cauſſa recuſaturum non eſſe. Tu autem ſi vnas ad me litteras dederis (uide quanti apud me ſit egregia tua uirtus) in quibus mihi polliceare tuas te impleturum partes, quò ad hanc noſtram coniunctionem iucundiſſimam cumulus accedat, plenè mihi ſatisfacies. Hac ergo mente ambo ſimus, ut litteris (quoad per utriuſque occupationes, & præcipue tuas licuerit) inter nos certemus; ſpero enim incredibili utrunq; noſtrum ex hac inſigni amicitia, quam ſtudiorum ac morum ſimilitudo coniugauit, lætitia affectum iri. Ego quotieſcunque mihi in mentem uenerit, ueniet autem quotidie, me abs te, tuiſq; liberaliter iſtic atque honorifice tractatū fuiſſe, toties ſuauiſſimo tuo conſpectu

fruendi

beneuolentiſsimi hominis officio fungere, eodemq́; omnibus nobis longe gratiſsimo, qui te imprimis amamus charumq́; habemus. VALE *Antoni ſuauiſsime, & communes iſtic amicos meis verbis ſaluta. Kal. Iuny.* CIϽ IϽ LXXVII.

HERCVLI SACRATO Epiſcopo Comacli. Romam.

POSTQVAM *Regio, vbi dies aliquot ſumma mea cum voluptate grauiſsimi & integerrimi* Epiſcopi Martelly *optatiſsimo congreſſu frui mihi licuit, domum reuerti, ad te litteras dare ſtatim cogitaui optime atque ſuauiſsime Antiſtes. Sed quid potiſsimum ad te ſcriberem, in mentem mihi non veniebat:* Nam *ſi tibi ſignificarem tuum hinc diſceſſum mihi moleſtum fuiſſe, tuúq́; diuturnam abſentiam magno me tui deſiderio afficere, fortaſſe irrideas, quod haud credibile tibi eſſe videatur, cum ego tamen non ſine magna animi mei moleſtia tuo iucundiſsimo aſpectu caream & dulciſsimarum col locutionum noſtrarum recorder: Si vero de mea ſumma erga te obſeruantia verba faciã, officium hoc ſuperuacaneũ eſſe cenſeas, quòd meus in te non mediocris amor iandiu perſpectus tibi atque cognitus ſit.* Quid *ergo gratuler ne tibi, quòd in iſta pulcherrima ornatiſsi-*

tiſſimaq; vrbe, & orbis terrarum luce ſis, atque in cætu ampliſſimorum virorum quotidie verſere? Cumq; te eximia humanitate, morum ſuauitate ac integritate ornatum iam iſtic plerique cognoſcant, quæ in tui amorem homines alliciant, te ab illis hilare atque honorifice accipi, & vehementer amari perſpicias? An potius te admoneam (hoc mihi condones licet) vt caueas ne ſumma iſtius vrbis amænitas & pompa te nimium oblectet? Certè mirari noli, quòd in hunc ego ſermonem inciderim: Nam quis vnquam Romam ſemel primum ingreſſus eſt, quem non incredibilis iſtic diutius commorandi ac vitam agendi continuo ceperit atque incenderit cupiditas? Hoc iampridem mihi ac per multis alijs vſu venit, & nuper Vincentio Fantino collegæ meo tuiq; ſtudioſiſſimo; Ac ſi vtriuſque noſtrum res ac rationes domeſticæ tuliſſent, fortè vnà tecum nunc ſuauiſſime colloqueremur. Nec eò dico quòd de tua prudentia atque conſtantia dubitem, præſertim cum me non fugiat abeſſe tibi non licere, ſed quòd voluptate quaſi titillantur iſtic ſenſus noſtri, vt aſpectu illius vrbis nemo non priuari ſe ægre patiatur. At hæc & alia multa coràm, Deo iuuante vt ſpero. Interea vide ne dum uitam iſtic lætam & quietam traducis, noſtri te capiat obliuio, qui te amamus & imprimis colimus, præcipue vero Paulli Sacrati tui, qui tibi vehementer deditus eſt,

quiq;

quiq; in tuam conſuetudinem cum ſe dudum immerſerit, magno dolore à te diuelli paſſus eſt. Et cogita dum tu abes, nihil nobis gratum accidere poſſe, omnia vero, cum tu hic aderis, valde iucunda fore. Vale Antiſtes optime, teq; Deus opt. max. incolumem ſeruet. Epiſcopum Adriæ collegam tuum meo nomine vt ſaluere iubeas, te magnopere rogo atque obſecro. M. Antonius Paganucius Decanus, & Vincentius Fantinus multam tibi ſalutem adſcribunt, teq; plurimum obſeruant. Ferrariæ. prid. idus Iunij. CIↃ IↃ LXXVII.

FABIO MASETO. Romam.

QVANTVM *acceperim dolorem Fabi ſuauiſſime, cum te dudum in febrim incidiſſe audiui, teq; illa vehementer iactari, teſtis erit tibi huiuſce mæroris mei Hercules Signa, à quo ſæpe de ſtatu tuo quæſiui. Ac tu facile dijudicare potes, qui te loco filij iandiu haberi à me non ignoras, & à me eximiam virtutem tuam, probitatem, ac morum ſuauitatem magni fieri. Nunc autem poſtquam te è morbo iſto conualuiſſe perſpexi ex ijs litteris, quas ad eundem Signam dediſti, gaudio ita exultaui, vt nuncius iſte omnem certè moleſtiam abſterſerit; Nam ſicut ſalus tua in diſcrimen adducta incredibilem mihi*

curam atque angorem animi, ita eadem abs te Dei opt.max.beneficio recuperata non minorem voluptatem attulit. Quod paucis tibi ſignificare uolui, vt intelligas te à me adeò diligi, vt nec patruo tuo clariſsimo viro cõcedam: Quem magna liberatum fuiſſe ſollicitudine & lætor, & ei mirum in modum gratulor. Reliquum eſt vt te hortor, quamuis hortatione mea forte non egeas, nihil facturus niſi de ipſius patrui tui conſilio, his maximis caloribus ne ad ſtudiorum labores redeas, antequam priſtinas vires collegeris: Te enim, opinor, non latet grauius illos ægrotare, qui cum leuati morbo videntur, in eum de integro incidunt. Rogo te igitur etiam atq; etiam vt caueas, nec mihi adhuc reſpondere cogites, malo enim te valentem ſero, quàm ſtatim imbecillum ad me ſcribere: Nam ſatis mihi abs te factum erit, ſi me ſalutaueris, cum ad Herculem litteras mittes, ex quo ſi etiam te quotidie robuſtiorem fieri cognouero, nihil profectò iucundius mihi accidere poterit neque optatius. Cura valetudinem tuã mi dulciſsime Fabi, ac me apud Patruum tuũ ſummũ virum in gratia pone. Ferrariæ. iiij. id.quint. CIↃ IↃ LXXVII.

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS. s. d. Paullo Sacrato ſuo.

IN *multis, tenuibus illis quidem, ſed ipſa adſiduitate moleſtiſsimis occupationibus meis, vſus eram ea libertate, quam tu mihi dederas, ne prius ad litteras tuas reſpondere neceſſe haberem, quam* Epiſcopus Hadriæ *iſtuc rediret. Quod dum expecto, etſi quibuſdam & meis & ipſius familiaribus negotium dederam, vt me tempeſtiue de diſceſſu ipſius admonerent, prius tamen eum abiiſſe reſciui, quam de abitu cogitare cognoſſem. Factum id non modo eorum quibus id mandaueram negligentia: ſed & conſuetudine quadam multos iam menſes à me ſuſcepta, nunquam, niſi cum urget neceſsitas, exeundi domo, & perraro veniendi in ædes* Cardi*nalis: non quin & ipſe me libenter videat: & ego eum, qua debeo, obſeruantia colam: Sed tanta me ſatietas, tantum odium & aulæ & rerum aulicarum cepit, ut nũquam mihi magis ſolus uidear, quam in illa turba: nunquam melius comitatus, quam cum me ſolus in bibliothecam abdidi.* Itaque *cũ* Car*dinale ipſo ter, opinor, aut ad ſummum quater collocutus ſum, poſtquam huc venit. Multi fortaſsis hanc aut aſperitatem aut ruſticitatem uocabunt.* Vocent *ſane, vt libet. mihi ægre eſt, quod non iampridem*

ita viuere cœperim. & tamen uiuente Hippolyto Cardinali alia ratio erat. Referta erat domus hominibus eruditis, ex quorum conuictu ac ſermone aliquid perpetuo diſceres. Ipſe, quamquam doctrina mediocri, magno tamen & excelſo ingenio, & mirifice dedito ſtudijs noſtris. Itaque domus ipſius Academia quædam videri poterat. Hic amat quidem & ipſe mirifice homines bonarum artium ſcientia excultos: ſed ſua ei comitas damno eſt. Dum enim omnes blande excipit, cum omnibus humane colloquitur, facilem ſe atque obuium omnibus præbet, excitat quidem admirabiles amores ſui: ſed à tam multis gratiam ipſius ambientibus perpetuo obſidetur, vt ei vix ad curandum corpus ſatis temporis ſuperſit. Quid quæris? Ego qui quotidie cum illo altero ſuauiſſimis ſermonibus horas aliquot tranſigere conſueueram, nunc in alium quendam orbem mihi delatus videor. Sed hæc muſſanda ſunt: quæ tamen ſemel in tuum hominis amiciſſimi ſinum effundere volui, putans in eo aliquid leuationis fore: Nunc ad alia venio. Quod tam ſæpe me in epiſtolis tuis tamq; honorifice appellas, gratiam habeo: etſi video te multo plus amori quam iudicio tribuere. Sed hoc ipſum non minus iucundum eſt, ſentire me à te vnice diligi. Quid nunc præterea ſcribam, nihil habeo: niſi forte illud ſcire vis, me hoc anno, ſi deus volet, explicaturum publice li-

bros

bros Politicorum Ariſtotelis: in quibus uideor mihi nauaturus operam , & multa ab alijs interpretibus nō animaduerſa dicturus . Hoc te puto malle, quàm quid de bello aut pace dicatur, & quæ eius generis vulgo à circumforaneis hominibus diſſeminantur. ἕκαστος γὰρ τῶν ἑαυτοῦ κήδεται. *Viuamus, mi Sacrate, uiuamus, & conſeneſcamus in ſtudijs noſtris, contēnentes ea omnia quæ vulgo maximi ſunt. Deum & æternitatem cogitemus. alia omnia fluxa & caduca ſunt. Vale Romæ iij. eid. Iulij* CIↃIↃXXVII.

LÆLIO ARLOTO.
Regium.

SCRIBIT *ad me Nicolaus Thalamius omni virtutum genere ornatiſſimus, noſtriq; amantiſſimus te ad me litteras dediſſe; At opinor ego Tabellario cuidam perferendas, qui uel ignorarit iter Ferrariam, vel in Padum ceciderit ; Nam ſi eas M. Antonio Barillæ commiſiſſes fideli atque diligenti uiro, qui viij. dierum ſpatio ſemel & iterum ad nos venit, te mihi haud reſpondiſſe non quererer. Nec eò dico quòd te amici officio functum fuiſſe non putem, (non enim audeo de tanto viro ſecus exiſtimare, quam amicitia noſtra, & mea erga te obſeruantia poſtulat) Sed quòd careo illo ſuauiſſimo fructu, quem ex tuis doctiſſimis litteris eram perce-*

ſcripturus ſi eas accepiſſem. Quò fit vt, ſi coniunctioni noſtræ cumulate ſatisfacere volueris, te oporteat aut illas eodem exemplo, aut longiores ad me litteras mittere. Nam ſi deinceps tertia te epiſtola ante oppreſſerit, quàm tu litteram, Quid Antiſtitem iſtic veſtrum Martellium; vel potius noſtrum ſumma prudentia atque iudicio præditum virum eſſe dicturum putas, qui conſtituendæ inter nos amicitiæ grauiſſimus ſuaſor & auctor fuerit? certè is aut te mei minime cupidum, aut in ſcribendo non impigrum eſſe cenſebit. Quorum alterum quidem in cogitationem nõ cadit, vt cum ego te propter excellentes virtutes tuas obſeruem, in amore mutuo mihi reſpondere nolis: Alterum vero ſuſpicari licet; Nam cum omne tempus in ſtudijs conſumas, ab ijs te diuelli moleſte fers, Et ſi quis te litteris obtundit, vt oſtendas te illius ſtudio non delectari, fortaſſe non reſpondes. Verum Læli doctiſſ. ſi Thalamius, aut tuorum quiſpiã mihi ſignificauerit me facilius abs te gratiã initurum tacendo quam nugis tibi obſtrepẽdo, obſequar: cupio. n. abs te amari, ſemperq́; a me nullo negotio obtinebis id quod tibi gratiſſimum fore perſpiciam. Vale & fratribus tuis plurimã meo nomine ſalutem dic. Ferr. prid. id. quintil. CIↃ IↃ LXXVII.

F. HELISEO INQVIſitori Mutinam Regiumq;.

MAXIMAM habeo gratiã Alexãdro Canalio Collegæ meo humaniſsimo, ſemperq; habebo dũ viuam, qui mihi auctor fuerit, vt me ad amicitiam tuam conferrem. Nã cum primum perſpicere probitatem, prudentiamq; tuam eximiam, ſummam vero doctrinam guſtare cœpi; tui amore fui adeo inflammatus, vt iucundiſsimam conſuetudinem tuã libenter & ſæpe appeterem. Sed poſteaquã in familiaritatem tuam penitus me dedi, teq; incredibili humanitate, affabilitate, lepore, & in quo nobilitas magnam vim habet, moribus etiam ſuauiſsimis præditum eſſe cognoui, non te amaui ſolum Heliſee optime atque doctiſsime, ſed magnopere ſuſpexi etiam atq; admiratus ſum, quòd non horum temporum, non horum morum, veterum vero illorum atque ſanctiſsimorum imaginem in te viderẽ. Itaque cum tu aliquot iam annos ante in hac ciuitate verſere quàm ego tibi intimus fuerim, ſi te omni virtutum genere ornatiſsimũ fuiſſe putaſſem (vix enim alium ex collegis tuis omnibus ſimilẽ tui reperias) omnia profectò molitus eſſẽ, quo ad cõciliandã mihi beneuolẽtiã tuã aditus eſſet. Verũ deinceps id dolui frequẽter, quòd tãto bono me priuarim:

Nam quæ voluptas ex iucundiſsimo tuo conſpectu collocutionibusq́; noſtris maxima percipi ſolet, illa tunc carui, & eo quoque fructu, quem ex tuo diuino ingenio, ac magnarum artium ſcientia tuliſſem. Tamen nihilominus cum Canalius meus vir excellens me in errore diutius verſari paſſus non fuerit, tu ipſe ſcis, quantopere temporis præteriti uſurã ſarcire conatus fuerim, nec intermiſerim Angelorum ædem crebro viſere, vt tuo dulciſſimo aſpectu fruerer, vt ſi mihi per grauiſſimas occupationes tuas licuiſſet, quotidie te ſalutaſſem. Sed dum dies aliquot officium hoc prætermiſi, maximi huius caloris vitandi gratia, te interea Mutinam Regiumq́; acceſsiſſe, teq́; ibi dies viginti fore & amplius ex tuis audiui: quo ex nuncio quanta animi moleſtia affectus fuerim, ex hoc conijce, quòd has ad te litteras ſtatim dedi, quas ſi ad te fideliter perlatas fuiſſe intellexero, magno id mihi ſolatio futurum eſt: per eas enim certior fies, non ſolum quanti te faciam & mirifice colã, ſed quàm valde etiam cupiam me abs te diligi, in memoriaq́; haberi; & quamuis præſtantiſsima natura tua mihi denegare non poſsit, nec dubitare ego debeam, cum tui in me amoris non obſcura mihi ſigna dederis, te tamen ſummis iſtic curis impeditum atque plurimis occupationibus diſtentum non nulla capere poſſet obliuio, à qua me epiſtola iſta vindicabit. Ego igitur, dum tu abes, excellen

tia

tis virtutis ac humanitatis tuæ mentionem facere non deſinam: ita enim in mente inhæret vitæ grauitas atque integritas tua, vt illius recordationem ſine ſummo ſcelere fugere nõ queam. Tu quoque, ſi animum meum in te ſingularem, valde tibi gratum fuiſſe paucis ſignificaueris, tanta me lætitia afficies, vt quẽ mœrorem ex diſceſſu tuo cepi, magnopere minuam. Vale Heliſee humaniſſime. Ferrariæ. Kal. Sextil. CIↃ IↃ LXXVII.

IO. ANTONIO. ANgiario Collegæ. Ferrariam.

CVM *varij de creando Ferrariæ Epiſcopo ſermones quotidie haberentur, variæq; ac diſcrepantes ſententiæ dicerentur; quòd meræ nugæ eſſent, & ita moleſtæ mihi, vt eas ferre non poſſem, diſceſſi iſtinc in hoc ſuburbanum meum tanquam in aliquam ſolitudinem, vt quæ audieram, quoad fieri poſſet, obliuioni mandarem, atque ex maximis quoque caloribus ſumma cum amænitate Padi vt hic me reficerem; vbi cum biduum lætus ruſticatus fuerim, poſtea ita me cepit ſatietas, vt vitam hanc diutius agere poſſe ſolitarius nõ videar. Itaque mecum cogitare cœpi, ſi amicus atque ſocius mihi adeſſet, qui cum ſuauiſſime colloqui & exprimere dicendo ſenſa mea poſſem, hanc meam à ciuitate abſentiã mihi gratam atque iucundam fore: Tu autẽ*

mihi primus occurriſti Ioannes Antoni humaniſsime, quem accerſerem, quemq; contubernalem optarem: Nam cum eximiæ tuæ primùm humanitatis, probitatis, morumq; ſuauiſſimorum; deinde incredibilis amoris erga me tui in mentem mihi veniſſet: quæ tuæ excellentes virtutes, vt te non fugit, me ita delectare ſolent, vt ægre abs te aliquando diuellar, ſtatui cum his litteris mittere ad te domeſticum meum, qui te huc inuitet: Nam licet multos iſtic amicos mihi, vt arbitror, meiq; ſtudioſos numerem, te tamen meritò ex omnibus principem eſſe ſemper iudicaui, qui cum omnia familiariſsime communicarem, & intimos animi ſenſus libere ac familiariter aperirem. Quòd ſi litteræ meæ tanti erunt apud te ponderis, vt te huc alliciant ac trahãt, polliceor tibi fore, ne tui ad nos aduentus te pigeat. Venies enim ita gratus, vt me non ſolum, meoſq;, Auguſtinum præcipue Maranium tui ſtudioſiſsimum, mihiq; vti cariſsimum filium, ſed locum etiam hunc lætitia geſtire cernas, quod & nos tua ſuauitate atque lepore ſermonis non priuaueris, & eum tuo ſuauiſsimo conſpectu decoraueris. Nec, vt opinor, fortaſſe multa tibi deerunt, vt libenter quoque aliàs ad nos reuertare. Veni igitur hilari animo, & ad iocandum prompto, te nãq; auidiſsime expecto. Vale dulciſsime Io. Antoni. Ex ſuburbano meo. Kal. Auguſti. CIↃ IↃ LXXVII.

LÆLIO ARLOTO. Regium.

ET ſi mihi dubium non eſt, quin tibi aut obliuionis amicitiæ noſtræ, aut negligentiæ nomine ſuſpectus ſim, ac fortè apud ſapientiſsimum & integerrimum Antiſtitem noſtrum Franc. Martellium abs te accuſatus fuerim, quòd ad te iandiu litteras non miſerim, mihi tamen videor ab illo iuſtiſsimo iudice iure condemnari non poſſe, quòd tu me non citaueris, aut litteris tuis laceſſieris; nulla enim mihi apud te excuſatio aut exceptio reliqua eſſet, ſi me de officio meo admonuiſſes chirographo tuo. Fortaſſe dices. Nonne Nicolaus Thalamius te certiorē fecit tuas à me litteras deſiderari? fecit ille quidem non tuo nomine, ſed ſponte, vtpotè vtrique noſtrum amiciſsimus qui & conglutinandæ inter nos amicitiæ fuit ſuaſor optimus. Tua autē, quòd multū intererat, te hoc munus obire decebat, vt iuſte de me queri tibi liceret, quòd à me reſponſum non tuliſſes. At ego cum te nunc prouocarim prior, an in te inuehi non debeā, quòd cum multi iſtinc ciues tui ad nos confluxerint, nunquam tu ad me ne litteram quidem? Verum excellenti tuæ virtuti totum cōdono. Et hæc ioco. Illud ſerio velim tibi perſuadeas, cum nulla maiori voluptate affici

ſici ſoleam, quàm cum ab amicis litteras accipio, & ad eos reſcribo, nihil mihi hoc ſilentio lõgo fuiſſe moleſtius, eaq; illud cauſſa accidiſſe, quòd aſſiduis curis impeditus fuerim & occupationibus, ac dudum acerbiſſima diſtillatione perplures dies conflictatus, quã cũ leuatus eſſe mihi videar, breues has ad te dare non diſtuli, vt perſpicias tui memoriam ac noſtræ iam veteris amicitiæ à me conſeruari, teq; propter probitatem atque egregios mores tuos à me mirifice diligi, & propter ſummam doctrinam plurimi fieri. Tu quoque vt hoc erga me animo ſis, ne te in amore ac tuenda amicitia noſtra vinci patiare, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Ferrariæ. viij. idus Decemb. CIↃ IↃ LXXVII.

EPISTOLARVM PAVLLI SACRATI CANONICI FERRARIEN.

Liber V.

GVLIELMO SIRLETTO CARDINALI.

QVOD pleriq; nobiliſſimi viri facere ſolent, licet à multis ſe mirifice coli atque obſeruari perſpiciant, eorum tamen paucis poſt diebus, vt ne meminerint quidem, id tibi vſu venire poſſe nunquam exiſtimaui ampliſſime Patrone; Nam illi quidem virtutis atque humanitatis uim ignorare cenſentur, in te vero qui à pueritia eximiam cum ſumma eruditione humanitatem affabilitatemq́;, ac miram morum ſuauitatem coniunxiſti, atque ad has excellentes virtutes ſummam artium optimarum ſcientiam adiunxiſti, qui cadere poteſt huiuſmodi ſuſpitio, ut eorum, qui te tantopere venerantur admiranturq́;, memoria ex animo diſcedat? Itaque

cum

cum tuæ optimæ ac dulciſſimæ naturæ proprium ſit, vt eos qui litterarum uidentur aliquem guſtum habere, eosq́; præſertim, qui veſtigia tua imitari ſaltem cogitant, tueare magnopere ac foueas; An ego qui tuæ ſummæ virtutis ac ſingularis doctrinæ ſtudio iampridem incenſus, atque inflammatus ad clientelam me tuam contuli, abs teq́; adiutore potiſſimum. Mureto viro excellentiſſimo, tuiq́; ſtudioſiſſimo in fidem libētiſſime ſum receptus, quo nomine me tibi perpetuo debere profiteor, non putem nunc me à te amari, atq; in mente tua inſidere? Nunquam, mihi crede, aliam de te opinionem animo imbibam, ſic enim tua ampliſſima dignitas ac ſumma virtus poſtulat. Illud vereri potius non ne debeo, obliuionis nomine ne tibi ſim ego ſuſpectus, qui nullam iandiu tibi ſalutem miſerim? At hoc pudori meo tribuas velim, nam cum mihi perſpectum exploratumq́; ſit te in res diuinas penitus abditas toto pectore incūbere, & in grauiſſimis cogitationibus quotidie verſari, nugis meis obſtrepere tibi auſus non ſum; Nec tamen tempus vllū intermiſi, quin cum amicis etiam abſentibus de amplitudinis tuæ non mediocri erga me benignitate mentionem facerem, quòd Clariſſimi Sirleti imago iampridem in animo meo impreſſa ſit. Nunc autem operæ pretium mihi viſum eſt, cum antea mirum in modum laborarim vt gratiam abs te inirem, cauere magnopere,

re,

re, ne videar eam negligentia inertiaq́; facile effundere, ac diuturno ſilentio meo ex animo tuo effluxiſſe. Quare ſi Tiberius Pompeius mihi nunciauerit has, quas tibi attulit litteras, non ingratas nec iniucundas fuiſſe amplitudini tuæ, de voluntate erga me tua atque beneuolentia non modo nihil detractũ & imminutum fuiſſe, ſed maximo etiam abs te beneficio me affectũ arbitrabor. Vale Ampliſsime Patrone, cuius conſilia & cogitationes omnes Deus opt. max. ſemper fortunet. Ferr. iij. id. Ianuarij. CIↃ IↃ LXXVIII.

PAVLLO LEONIO EPIſcopo Ferrariæ. Carpos.

CVM *à Deo opt. max. omnia manare bona, nutuq́; eius ac prouidentia regi cuncta certo ſciamus, Antiſtes optime, illud etiam perſuadere nobis debemus, ſi de tot illuſtribus ac doctiſsimis uiris, quorum vnus Eccleſiæ Ferrarienſi præficeretur, multi varijq́; ſermones habiti fuerint, & cæteris exploſis tu ad hoc ampliſsimum Sacerdotium electus fueris, diuino afflatu hoc effectum fuiſſe, ſine quo nemo magnus vnquam fuit; Qua ex re, quis eſt, qui de tua excellentiſsima virtute, integritate, atque prudentia non acute conijciat, poſtquam te Deo placere, valdeq́; carum eſſe euentus comprobauit; & qualis quantusq́; ſis in iſto munere futurus, non*

proſpi-

proſpiciat? Ego quidem, qui mihi videor paucis illis diebus, quibus Regij me in conſuetudinem tuam dedi, cum apud integerrimum ſapientiſſimumq; Pontificem Martellium unà diuerſaremur, impetus tuos ad laudem atque immortalitatem probè cognitos habere, ſtatuo te eum eſſe. qui doctrina, probitate, ſapientia, vniuerſam remp. Chriſtianam plurimum iuuare poſſis, ne dum gregem tibi commiſſum paſcere, animarumq; ſaluti conſulere valeas, præſertim cum ad hoc accedat ſingularis etiam humanitas atque benignitas, quæ hominum ſtudia, illorumq; erga te beneuolentiam magnopere alliciant: In quam de te opinionem diſceſſi, quòd ad nos vna omniũ uoce perfertur te iſtic præclaris atque illuſtribus factis iſtorum hominum animos adeo tibi cõciliaſſe, vt te non ſuſpiciant modo atq; admirentur, ſed ſummis etiam laudibus in cœlum tollant; &, quod caput eſt, te à ſe diuelli ægre admodum patiantur. Quæ cum ita ſeſe habeant, gratulor tibi vereq; gratulor, non tã quòd Epiſcopus creatus ſis, hoc enim honore multi non tui ſimiles affecti ſunt, quàm quòd ad honeſtandam illam dignitatem ſumma facultas in optima voluntate tibi non defutura ſit. Quin etiam nemo eſt qui ambigat, quin tu eam ipſam ſumma religione, innocentia, moribus integerrimis, uigilantia, ac præcipue exemplo ſis amplificaturus. Quæ cũ præſtare tu queas vnus, maius ne à Deo clemen-

mentiſsimo deſiderare beneficium poſſumus, quàm quòd nobis ab eo tributum eſt, vt talem nobis virum dederit, qui & eccleſiam ſuam optime moderaturus ſit, & mores noſtros ad normam diuinam ita directurus, vt ſancti & religioſi euadamus? Sed noſtrum eſt gratias Deo *immortali de ſumma eius erga nos benignitate maximas agere, quas illi perpetuas certè omnes habebimus, eumq; aſsidue precabimur, nobis vt concedat, iſto excellenti bono gaudere diutius vti poſsimus.* Veni *igitur quamprimum ad nos:* Venies *enim, mihi crede, valde expectatus: quod tibi hac epiſtola ſignificare volui, quam indicem meæ lætitiæ teſtemq; incredibilis voluptatis ad te mitto, meumq; hoc officium tibi nō iniucundum eſſe cupio. Tu quoque vt priſtinam tuam erga me uoluntatem beneuolentiamq; conſerues, te magnopere etiam atque etiam rogo & obſecro.* Vale *humaniſsime* Antiſtes. Ferrariæ Kal. Aprilis. CIↃ IↃ LXXVIII.

GVLIELMO SIRLETO
Cardinali.

VIDE *Ampliſsime* Patrone *quanta ſit vis amoris atque magnitudo, meaq; de tua ſumma & incredibili virtute opinio.* Nam *nulla alia in cogitatione ferè verſari queo, quàm de amplitudine tua.* Atque (*vt cætera*

tera mittam ne ſim longior) cum tuam ſingu larem humanitatem facilitatemq́; quotidie mecum recolo, qua me in fidem tuam recepiſti libentiſſime, ac non obſcura deinde tuæ erga me beneuolentiæ indicia oſtendiſti, ſic afficior, vt te ipſum complecti mihi videar. Quid autem poteſt à me dulcius atque admirabilius cogitari, quàm clariſſimum Sirletum non modo virtute ſola ampliſſimam dignitatem adeptum fuiſſe, verum benignitate etiã atque comitate omnes ſuperare, meq́; in me ipſo fuiſſe hoc expertum? Equidem maxima tu in me ſtudia contuliſti, quorum memoriam ex animo nulla vnquam delebit obliuio, nulla obruet vetuſtas: Meæ vero partes ſunt non committere, vt in te ingratus eſſe videar, meiq́; officij immemor, & cauere ne mihi vitio detur, quòd benignitatem erga me tuam non agnouerim. At iſtic præſto eſt Tiberius Pompeius meus, vt quoad fieri poteſt, eas impleat; Cui ea, quæ meo nomine ille ſigna dabit non mediocris meæ erga te obſeruantiæ ac venerationis, tuis quidem erga me ſtudijs haud paria, ſed ab animo tibi deditiſſimo profecta, ſi tibi iucunda eſſe demonſtraueris, me quoque tibi valde gratum eſſe arbitrabor. Tibi certe perſuadeas velim te à me tanti fieri quanti alium neminem, Illuſtriſſimumq́; nomen tuum in viſceribus mihi ſic hærere, vt è memoria nunquam elabi poſſit; Paulli etiã Sacrati tui recẽs ut apud te

recor-

recordatio vigeat, vehementer cupio, atque, vt hoc aſſequar, omnibus viribus elaborabo. Vale Ampliſsime Patrone, quem æternus Deus incolumem diu ſeruet. Ferrariæ. Nonis Aprilis CIↃ IↃ LXXVIII.

IACOBO PHILIPPO
Thamonio. s. p. d.

QVÆ *te cauſſa impulerit Iacobe Philippe, vt in meam te familiaritatem inſinuare tantopere concupieris, nec tamen deditiſſimo tibi Auguſtino Maranio, quem vti filium à me adoptatum non te latebat mihi iandudum contubernalem eſſe, internuntio, ac tuæ voluntatis interprete vti volueris, at quò facilius rem hanc impetrares, Clariſsimum virũ Octauium Sanctacrucium Antiſtitẽ Cer uienſem huius coniunctionis noſtræ ſuaſorẽ & auctorem habere, Ego diu cogitans tandem conieci eam profectò extitiſſe, quòd cum tu apprime delecteris optimis & litteris & artibus, in illisq; aſsidue verſeris, te magnum ex conſuetudine mea fructum laturum eſſe, atque ad recolenda ſtudia tua non parum adiumenti habiturũ ſperes. Sed, quanquam mirum in modum gaudeo te de me ita recte ſentire, vt talis ac tanti viri officium tibi requirendum duxeris, vereor tamen ne, cum è tuo metiri cæperis ingenium meũ, ac ſenſus meos explorare atque perſpicere,*

mihi

mihi homini humili ac minime digno cui mul tum tribuas, te pigeat ſtudium tuum nauare, atque ad amicitiam meam cum te ſponte contuleris, eam in poſterum non colere, atque in propoſito ſuſceptoq; conſilio non permanere te pudeat. Ego quidem, cum optimi ac modeſtiſſimi iuuenis (vt videre mihi iam videor) nec non egregia ac præclara indole & eleganti ingenio prædìti beneuolentiam mihi conciliauerim nihil tale ſuſpicans, & eodem impulſore à Nobiliſſimo Antiſtite gratiam nullo negotio inierim, quæ duo maxime in lucris pono, immortales certè gratias præpotenti Deo ſemper agam habeboq;, qui ætati meæ iam ingraueſcenti maxime conſuluerit atque prouiderit, florentiſſimumq; iuuenem mihi dederit, in cuius ſumma probitate, ſinceritateq; poſthac ita conquieſcere puto, vt meam ſenectutem maxime oblectem: Eundemq; precabor, vt á te voluntatem immutari non patiatur, non ſinat. Meum autem erit, quibuſcunque potero rebus te in officio retinere, ac tuum in me amorem augere. In quo & ſi mihi voluntas nunquam defutura eſt; omnia enim moliar, omnemq; in eo induſtriā figam, vt quotidie te magis mihi adiungam: optandum tamen mihi eſt, vt à Deo opt. max. facultas hæc mihi detur, tuam de me expectationem vti ſuſtinere queam: non enim me tot virtutum præſidio munitum eſſe agnoſco, vt te auocare poſſim, ne à propoſito declines aliquando,

quando, ſententiamq́; deflectas: Tu vero ſi tibi conſtare quibuſdam in rebus conniuendo, & inconſtantiæ crimen horrere ſtatueris, non dubito quin eam neceſsitudinem inter nos coniungamus, qua vterque noſtrũ poſthac, vt ſpero, iucundiſsima ſuauiſsimaq́; magnopere lætetur. Reſtat ut te orem atque obſecrem, cum ad Antiſtitem tuum litteras dederis, vt apud eum me in gratia ponas, meq́; eius excellentiſsimæ virtuti valde deditum eſſe teſteris. Quod ſi feceris, non ſolum tuã in me fidem ac beneuolentiam experiri iam incipiam, ſed non paruum etiam me abs te beneficium accepiſſe putabo. Vale. id. April. CIↃ IↃ LXXVIII.

M. ANTONIVS MVRETVS Paullo Sacrato ſuo. s. d.

TANDEM *ad te ſcribo; neque enim per aſsiduas occupationes, & per moleſtiſsimum oculorum dolorem, quo dies aliquot laboraui, citius licuit. Et expono tibi totum illud negotium Polonicum: quando litteræ quas ad te, re adhuc recenti, ſcripſeram, perierunt. Stephanus Poloniæ rex, qui & alys regÿs uirtutibus ornatiſsimus eſt, & hoc ſupra ceteros omnes reges, qui multis abhinc ſaeculis vixerunt, eximium habet, quod & amat unice homines eruditos, & ipſe omni elegantis doctrinæ genere mirifice excultus* eſt,

eſt, miſerat in Italiam *vnum e domeſticis ſuis, qui quaſi dilectum quendam haberet præſtantium doctrina virorum; eóq; opimis admodum propoſitis condicionibus, in* Poloniam *inuitaret ad* Academiam *nouam, quã* Rex Cracouiæ *inſtituere parabat.* In *mandatis autem regÿs, quod ad alios quidem attinet, facta erat poteſtas ei qui huc venerat, optimum quemque & in docendo exercitatiſsimum deligendi: de tribus nominatim perſcriptum erat: de me, de* Carolo Sigonio, *& de* Fuluio Vrſino. Ac *mihi merces propoſita, quanta alÿ nemini, mille quingenti quotannis aurei nummi.* Addebat *rex, ſi ſacris initiari vellem, (nondum enim ſciebat, me ſacerdotem eſſe) perfecturum ſe, quo mihi magis liberet manere in* Polonia, *vt intra breue tempus, honeſto aliquo* Sacerdotio, *ex quo non minus quingentos annuos aureos nummos caperem, cohoneſtarer.* Ea *de re vnus e primoribus illius regni,* Ioannes Zamoſcius, *qui nunc magnus regni cancellarius eſt, litteras ad me peramanter perq; honorifice ſcriptas dedit.* Commotus *ſum non tam ipſius premÿ magnitudine, etſi his quidẽ temporibus inuſitata, quàm tanti regis tam propẽſa ac benefica erga homines litterarum ſtudÿs deditos voluntate.* Neque *me commouebat itineris difficultas: qui exploratum haberem, cum lectica, vna cum filiolo fratris mei puero ſex annos nato, quem mecum*

illuc

illuc ducere cogitabam, ad fanum Lauretanum, ea enim religionis ac pietatis cauſa, iter facere decreueram, geſtatus eſſem: poſſe me ciſio Cracouiam vſque commodiſſime vehi. Et iam conuenerat, vt mihi regis nomine ad iter conficiendum darentur trecenti aurei nũmi, ad quos ego ducentos de meo prætereà addere cogitabam. Iam mihi illud ſanctitatis & doctrinæ ſpecimen Staniſlaus Cardinalis Vuarmienſis gratuitam habitationem in palatio quod Cracouiæ habet ampliſſimũ offerebat. Multæ à multis ſummis viris litteræ commendaticiæ in Germaniam & in Poloniam promiſſæ erant: vt cum eo veniſſem, nunquam fere in diuerſoria publica ingredi neceſſe haberem. Neque verebar illam, quæ in Polonia eſſe dicitur, inclementiam cœli, aſperitatemq; frigoris. Sciebam illa omnia re multo minora eſſe quàm fama; & alioqui ſum ipſe quoque natus in parte Galliæ maxime montoſa ac frigida. Quod autem quidam qui deterrere me cuperent, clamabant gentes illas feras ac barbaras eſſe: interdum ſtomachum mouebant. Magna mihi, Sacrate, cum multis Germanis, magna cum permultis Polonis familiaritas, magnus uſus, magna neceſſitudo fuit. Semper eos expertus ſum bonos viros, rectos, ſimplices, apertos: humaniſſimos præterea, & prope omnes eo vitæ cultu ac munditia quæ ad elegantiã potius quàm ad vllam barbariam accederet.

Nugæ iſtæ ſunt hominum eos qui adulari, & fallere, & aliud loqui, aliud cogitare neſciunt, barbaros vocantium. Vtinam nos eo modo barbari eſſemus. Vtri vero barbariores ſunt: nati in media Italia, quorum vix centeſimum quemque reperias, qui latine aut Græce loqui ſciat, aut litteras amet: an Germani ac Poloni, quorum permulti & earum linguarum vtranque perfectiſſime callent, & ita litteras ac liberales diſciplinas amãt, vt in eis tempus omne conſumant? Olim illi fortaßis aſperi ac barbari fuerunt: hoc quidẽ ſæculo, vereor, ne in Italiam barbaries, ad illos cultus & ſplendor vitæ, & eruditio atq; humanitas, mutatis ſedibus, commigrarint. Itaque, vt verum tibi fatear, libentiſſime eo commeaſſem, ſi nihil obſtitiſſet. Quicquid enim commodi mei cauſa ab eis petebam, id omne prolixe ac copioſe offerebant: vt iam conſtaret inter nos ſine vllo negotio conuenturum eſſe. Quid quæris? Fidem eis dederam, venturum eſſe me, ſi per ſummum Pontificem, cui ſeruio, & per Cardinalem Eſtenſem, cuius in clientela ac familia ſum, liceret; alioqui enim non poſſe me, niſi eorum permiſſu, de me ipſo quidquam tale polliceri. Putabam autem neutrum eorum hoc iniquo animo laturum: cum Cardinalis quidem gratis me alat: nullam enim ad rem mea opera vtitur: ſummus autem Pontifex ingentem copiam habiturus eſſet eruditiſſimorum homi-

num qui ſe in locum meum ſubſtitui poſtularent. Contra tamen accidit, quàm putaram. Etenim cum rumor de meo diſceſſu tota in vrbe peruulgatus eſſet, Conſeruatores popu'i R. (is ſummus magiſtratus eſt eorum qui hodie populi ſuffragijs deferuntur) ad Pontificem accedunt, cum præſentes etiam adeſſent ij ex Cardinalibus quibus ſtudiorum cura commiſſa eſt: remq; ei exponunt: atq; ab eo ſupplices petunt, ne me abire patiatur: addunt multa de me, quæ malo te ex alijs cognoſcere. Pontifex benigne eos audit: bono animo eſſe iubet: ſe quod in hac re opus foret, effecturum eſſe confirmat. Paucis poſt diebus per Ludouicum Caſtaneum Chriſtianiſſimi Regis oratorem, virum & claritate generis, & virtute, & eruditione præſtantem, iubet mihi denuntiari ne abeam: ſibi curæ fore, ne me, quòd auctoritati ſuæ paruiſſe, pœniteret. Reſpondi, nullam pecuniam eſſe tanti, vt mihi quidquam placeret, quod Pontifici diſpliceret: & honorificum quidem mihi uiſum eſſe, quòd à tanto rege vocarer: ſed multo honorificentius quòd à Pontifice retinerer. Pontifex poſtea epiſtolam ad me miſit amantiſſime ſcriptam, qua ad ſtipendium quingentorũ nummorũ aureorũ, quod iampridẽ capiebã, ſignificabat ſe ducentos præterea addidiſſe. Eodem tempore Matthæus Contarellus Pontificis Datarius, certiorem me fecit; ſibi à Pontifice mandatum eſſe, vt mihi

quamprimum & adtribueret & adſignaret annuam trecentorum aureorum nummorum penſionem. Itaque rex tam longinquus effecit teſtimonio & iudicio de me ſuo, ut Sanctiſsimi Pontificis liberalitate ad veteres fortunulas meas acceſſerint annui quingenti aurei nummi. Sed & Cardinalis Eſtenſis, ſimul atque iſtinc rediit, amplo me atque honorifico munere donauit: quod ego eo magis prædicare geſtio, quod ipſe tacere me iuſſit. Parendum tamen eſt: ne, dum gratus haberi volo, me illi non ſatis morigerum præbeam. Et ego ſcribendo defeſſus ſum: & te ſuſpicor, cum hæc tam verboſe ſcripta legeris, feſſum fore. Vale. Romæ pridie Kalen. May.
CIↃ IↃ LXXVIII.

BENEDICTO MANZOLIO Epiſcopo Regij.

SVPERIORI *anno rumor fuit dies aliquot Antiſtes optime atque doctiſsime ſatis quidem ille conſtans, ſed ſine certo auctore te Eccleſiæ Ferrarien. præfectum iri, qui tantam mihi tunc delectationem attulit, ut nihil mihi gratius atque optabilius audirem. Quanquam enim nullus propè mihi tecum vſus intercedebat, quia tamen ex multis de tua præſtanti virtute &* erudi-

eruditione cognoueram, gaudij plurimum ex tua dignitate capiebam. Sed cum inanis poſtea rumor fuiſſet, quod iucundiſſimum fore ſperaueram, id moleſtum ſanè atque acerbum fuit; Eum tamen, qui primus vocem hanc ſuderat, quæ in animos hominum ita penetrarat vt res in ore atque ſermone omnium iam eſſet, magnopere laudaui, quòd de te rectè auguraretur, vt potè cui tuæ excellentiſſimæ virtutes cognitæ atq; perſpectæ admodum eſſe videbantur: Nunc vero, quòd te Regij Epiſcopum creatum eſſe intellexi, tanta ſum lætitia perfuſus, quòd magis ex ſententia tibi ſucceſſerit, ſicuti cenſeo, quam rumor ipſe ſparſerat, vt nullam in vita maiorem voluptatem ſenſerim. Ac meum iudicium eſt, cum multa de ſummo Pōtifice & honorifice & grauiter prædicentur, hoc illius factum non inter poſtrema numerandum eſſe, quòd te hoc ſummo honore ac maxima dignitate decorarit, totq; in te ſtudia contulerit. In quo nimirum ille te quanti faciat, declarauit. Tibi ne igitur gratuler, quòd laborum ac vigiliarum tuarū premium adeptus ſis, an Eccleſiæ Regienſi, quæ tanto paſtore ornata ſit? vtriq; profectò vere gratulor, tibi quidem, cum doctrina, humanitate, morumq; ſuauitate excellas, lætor oblatā eſſe exercendæ ſingularis ſcientiæ atque induſtriæ tuæ occaſionem; non enim vereor, ne non in adminiſtratione atque moderatione

ALDO MANVTIO. P. F. Venetias.

EGO Alde ſuauiſſime ſemper arbitratus ſum me abs te amari, nam ex meo in te animo de tuo in me coniecturam faciebam, & ſicut vnice te diligo, tibiq́; multum tribuo, ita te mihi in amore reſpondere opinabar. Sed mea me profectò fefellit opinio. Poſtea enim quam optimum tibi Iuuenem propoſui, quem earum rerum, quæ tibi ſunt Carpis, procuratorem conſtitueres, illicò meì memoriam depoſuiſti; Et quem antea quotidie litteris eodem ferè exemplo ſcriptis obtundebas, nunc illarum deſiderio teneri pateris, atque earundem antehac multitudinem diuturna taciturnitate compenſare tecum cogitas: Hoc tu iuuenis florentiſſimi gratioſiſſimiq́; eſſe putas officium? An & oblitus es primum, quæ & quanta mihi cum Paullo patre tuo clariſſimo viro neceſſitudo interceſſerit, vt nihil mihi antiquius eſſet, quàm, quibuſcunq; rebus poſſem, eius uoluntati morem gerere, & quantus eius in me amor fuerit, vt ſuis etiam me ſcriptis celebrarit? Deinde antequam decederet, quòd te filij loco duxerim, omnemq́; in te amorem transfuderim, vt illius tamen vita functi in dies ſingulos memoriam in ſacris meis habeam? Tu vero cum parem mihi voluntatem non

 reddas,

propenſæ in te voluntatis officium deerit, quin omnia quæ ad te pertinere cognoſcam; ſemper, quoad ſumma Dei immortalis benignitate mihi ſpiritum ducere licebit, mea ſpõte & libenter curabo. Vale Alde ſuauiſſime. Ferr. vi. id Maij. CIↃ IↃ LXXVIII.

IACOBO PHILIPPO THAmonio Maſſam Fiſcaleam.

CVM *mihi venit in mentem illius diei, quo te in fidem atque neceſſitudinem meam recepi Iacobe Philippe ſuauiſſime, quod quotidie mihi vſu venit, non queo ſummo gaudio non exultare, cum Deum immortalem hanc tibi mentem donaſſe animaduerto, vt vinculum ſummæ mecum coniunctionis optaueris, mihi autem tantam dediſſe felicitatem, vt in animum tuum influxerim, quo effectũ eſt, vt amor iam incredibilis inter nos & mutuus intercedat. Nam licet tibi ex ſententia non ſucceſſerit, vt illos ex me capias fructus, quos te percepturum eſſe tibi perſuaſeras, (ſicut ex congreſſu noſtro perſpexiſti poſtea acerrimo ingenio tuo.) conſtantiam tamen in me mirifice diligendo, atque animi firmitatem ita retines, vt admirabilis omnibus in diſſimulando videatur prudentia tua. Præterea tot ac tãtis me ſtudijs atque officijs oneras, vt ea ſi commemorare velim, ferè infinita, memoria complecti non poſſim. Quid*

dicam de tua in me obſeruando perſeuerantia, vt nullum diem prætermittas, quin me domum reducere velis? Itaque dum eximias virtutes illas, quæ in te admodum elucent, enitentéq; ſummam præſertim integritatem, humanitatem, egregioſq; mores tuos mecum recolo, eruditionem autem tuam & optimarum artium ſcientiam, cum id ætatis iuuenis ſis, perpendo atq; examino, ſic mihi crede, tui ſtudio incendor Iacobe Philippe, vt te etiã abſentem, nedum cum præſens es, complectar & oſculer, meq; eò beatum eſſe iudico, quod tanta ſuauitate tantoq; lepore, quo affluis, quotidie ita fruor, vt nihil mihi iucundius gratiusq; excogitare & optare valeam. Quò fit, vt cum memoria repeto caſum illum, de quo per litteras à te paucis ante diebus certior factus fui, qui mihi calamitoſus ac funeſtus fuiſſet, quando nauis illa, in qua domum vehebaris, nautæ imperiti culpa in molam irruit, impetumq; ita fecit, vt mergi inciperet, & omnes de ſalute, quæ maximo uerſaretur in diſcrimine, valde dubitarent, te à Præpotenti Deo pro eius ſumma benignitate ex eo periculo ereptum eſſe credam, ne ij qui in tuam ſuauiſsimam conſuetudinem ſe dare cæperunt, tanto ac tam excellenti bono carerent, ne ve ego ſenex, quem frequens iucundiſsimusq; conſpectus tuus mirum in modum delectat, maxima dulcedine orbus dolorem hunc vel acerbiſsimum in vita hauri-

rem,

rem, quòd tam præſtantis iuuenis, omniq; florentis genere virtutis iacturam tantam feciſſem, quantam haud ferre vnquam potuiſſem æquo animo. Cum igitur à clementiſſimo Deo tanto beneficio affectus fuerim Iacobe Philippe, vt is te protexerit, ac mihi ſeruauerit, qui magnum in tua excellenti virtute, ac ſumma in me beneuolentia præſidium ætati meæ valde ingraueſcenti conſtitutum eſſe arbitror, nullum vnquam tempus intermittā Deum precandi, vti te tueatur, ac diuino ſpiritu afflet, vt eam, quam nunc erga me voluntatem habes, non ſolum conſeruare, ſed etiam augere velis, atque in colenda omnibus officÿs amicitia & coniunctione noſtra pergere ſtatuas. Ego autem officium à me vllum hominis tui ſtudioſiſſimi amātiſſimiq; te deſiderare nunquam patiar; quin omnia in te ſtudia conferre non deſinam, vt te a me in oculis ferri, atque in ſinu & complexu meo eſſe exploratum habeas; cupio enim ÿs vinculis amoris ac mutuæ beneuolentiæ arctiſſimis tecum coniungi aſtringiq;, a quibus nunquam laxari poſſimus. Quod reliquum eſt, cum occupationes meæ, quibus, vt tute ſcis, aſsidue diſtineor, aliquid mihi otÿ ſuppeditabunt, ad Octauium Sanctacrucium præclariſſimum Ceruiæ Antiſtitem ſcribam, eiq; quanta ego ex aſpectu ac præſentia tua voluptate perfundar, quæ mihi ante oculos quotidie obuerſatur, & quemadmodum

uitæ ſimilitudo conglutinari voluntates noſtras conſuetudine paſſa fuerit. quàm breuiſſime potero, exponam. Vale Iacobe Philippe dulciſſime. Ferrariæ id. Quintilis. CIↃ IↃ LXXVIII.

AVGVSTINO VALERIO Epiſcopo Veronæ.

CVM *tu iſtic tanta me humanitate comitateq́; fueris complexus, totq́; ac tanta in me ſtudia contuleris integerrime humaniſſimeq́; Antiſtes, nemo vt fuerit, quin, poſtquã domum redij, ea me narrantem audiens valde obſtupuerit, libenter ego eorũ commemoratione ſuperſedebam, quód ea mihi orationis copia non eſſet, quæ incredibili ac ſingulari tuæ erga me beneuolentiæ reſpondere, nedũ eam æquare poſſet. Sed non potui venienti iſtuc* Gandino *meo ad te litteras non dare: Veritus enim ſum, cum ego maxime confidam in ea eſſe me apud te exiſtimatione opinioneq́;, vt te mirum in modum ſuſpiciam atque admirer, ſicuti excellens atque admirabilis tua uirtus poſtulat, meq́; ſummorum tuorum officiorum & in me meritorum abs te memorem haberi ac gratum, ne ea non ſatis magnifacere tibi uiderer, ſi tacuiſſem; Ex his igitur facile perſpicies, quò magis mente animi tui magnitudinem contemplor, ac ſapientiam tuam morumq́; grauitatem intueor, quo-*

tidie

tidie quidem meam in te obſeruantiam nominiſq; tui venerationem augeri, dicendi vero facultatem minui, vel potius mihi eripi: Nam cum eximia bonitas, integritas, atque doctrina in te valde eluceant, ac laus tua iã illuſtri atque excelſo loco ſita ſit, non ne ab omnibus ineptus haberer, ſi cuius actiones & facta glorioſa omnium mortalium fama ſemper celebratura ſit, eum nunc laudando in cœlum extollere me poſſe mihi perſuaderem? Verum tantum abeſt, vt hoc mihi arrogem, vt nec cogitare in mentem mihi veniat: Itaque mittam ea, quæ ingenium meum longe ſuperant, & ad illa, quæ me attingunt, iam accedam. Ac primum te rogo & obſecro Antiſtes optime, vt quem tibi fouendum, omnibuſq; ſtudijs & amoris notis ornandum ſuſcepiſti, eiuſdem commodis etiã conſulere velis, nec ei tempus conſtitutum prorogari patiare. Ego enim pro virili conabor atque enitar ita me gerere, talemq; præſtare, vt amorem erga me tuum prouocem, curaboq; vt, cum me in clientelam tuam libenter receperis, te non caſu ac temere, ſed iudicio atque conſilio mihi fauiſſe fateare. Deinde tuum eſſe arbitreris perſeuerare hoc in me animo eſſe, vt tuam in me beneuolentiã atq; liberalitatem in dies magis experiar, tibiq; perſuadere te a me quoque & incredibili obſeruantia & memoria ſempiterna cultum iri: In quo ne tua te de me opinio fallat, vi-

tam

tã mihi prius quã volũtatẽ defuiſſe intelliges. Vale Antiſtes optime. Ferrariæ VIII. id. Nouẽb. CIↃIↃLIXXVIII.

GVLIELMO SIRLETO Cardinali.

Et ſi meum pridem officium erat clariſſime Sirlete, vt de illo ſingulari erga me ſtudio, quod tu mihi litteris tuis humaniſſimis mihiq; iucundiſſimis ſignificare voluiſti, immortales tibi gratias agerem, præſertim cum id mihi inſperatum fuiſſet, non quòd de tua in me beneuolentia vnquam dubitauerim, ſed quòd opinionem meam longe ſuperauerit animi tui altitudo, tamen ne nimia lætitia, qua certè ex ſumma humanitate atq; bonitate tua affectus ſui, deſipere tibi viderer, ſi tunc a me reſponſum tuliſſes, ita.n. (vt verum fatear) exultaui gaudio, vt me ipſe penè oblitus eſſem, a ſcribendo continere me conatus ſum, ne dum lætior tibi apparuiſſem, quàm fortè mea fert ætas atq patitur, me de tanto amoris erga me tui iudicio nimis mihi blandiri putares. Nunc vero verens, ſi longiori ſilentio vterer, ne optimam ac præſtantiſſimam tuam mentem, & illuſtria tuæ in me voluntatis ſigna a me non agnoſci, vt par eſt, nec tanti æſtimari arbitrarere, quanti iure facienda ſunt, his tibi litteris ſcrupulum ex animo euellere ſtatui, ſi fortè aliquis reſideret,

ex quibus cognoſces, niſi Chriſtiana religio noſtra humilitatem illã, qua nihil excelſius, quotidie ante oculos mihi propoſuiſſet, me facile in ambitionẽ lapſurum fuiſſe. Quo enim pacto, quaq; ratione cauere mihi poſſum, quin incredibili gaudio efferar, & gloria maxime ducar, cum mihi venit in mentem me tibi ampliſſimo atque integerrimo viro, omniũq; virtutum genere & omni laude cumulato admodum eſſe cordi, idq; abs te illis litteris declarari, in quarũ extremo erat tua manu? (cupio cùm merito tuo, tùm pro eo amore, quem erga me habes, tibi gratificari) An tuam erga me beneuolentiam ac propenſam voluntatem teſtificari magis potuiſti? Sed, mihi crede, in obliuionem huius pulcherrimi facti tui nunquam veniam: Quin gratiſſima memoria ſingularem virtutem tuam ſemper proſequar. Tu vero me ornare perge, ita enim apud me, quem iam tibi deditum, addictum, atque obſtrictum habes, operam tuam bene pones, vt nunquam tibi pœnitendum putem. Vale ampliſſime Patrone, quẽ præpotens Deus diu ſeruet ac ſemper fortunet. Ferr. idib. Decẽb. CIↃ IↃ LXXVIII.

F. HELISEO INQVISITORI. Bononiam.

EGO *nuper Heliſee optime atque doctiſſime Veronam acceſſi, Antiſtitem illum inte-*

integerrimum atque prudentiſſimum virum ſalutandi cauſſa. Qui certè, cum occaſio faciendi de te mentionem ſeſe mihi obtuliſſet, me de integritate tua ingenio, doctrina multa prædicantem non ſolum libenter audiuit, ſed vultu etiam & verbis te ſibi & notiſſimum & cariſſimum eſſe planè demõſtrauit: Quod his tibi litteris ſignificare volui, vt intelligas me vbicunque ſum, tibi tantum tribuere, quantum eximia tua virtus poſtulat, meq́; ſuauem ſingularis tuæ humanitatis, comitatis, ac leporis recordationem habere. Tu autem quo animo ſis, quaq́; erga me voluntate, ſi reſponſum à te tulero, ex litteris tuis cognoſcam. Ego quidem, ſi is es, quem à me haberi ſemper voluiſti, me abs te mirifice diligi, amicitiæq́; noſtræ iam veteris eam à te, quam par eſt, rationem duci mihi perſuadebo. Tuum vero erit prouidere, ne mea de te opinio me fallat, ne ve de tua exiſtimatione apud me quicquam detrahatur. Ego ſucceſſorem tuum nondum vidi nec noui, quòd occaſio cum conueniendi atque adeundi mihi nulla adhuc fuerit. Sed ſi tibi ad eum ſcribere contigerit, litteras ad me ipſas mittere poteris, quas ad eum perferam; Hac enim ratione amicitiam cum eo facilè iungam, præſertim ſi eas aliquo mendaciunculo aſperſeris, quò mihi faueas. Quàm gratum mihi futurum ſit hoc officium tuum, tu, qui iam me ex crebris collocutionibus noſtris, ac familia-

ritate noſtra cognitum habes, facillime perſpicies. Vale Heliſee humaniſſime. Ferrariæ Kal. Octob. CIↃ IↃ LXXVIII.

M. ANTONIO MVRETO. I. C. S. P. D.

ET *ſi vetus amicitia noſtra innumerabilibus vtrinque officiis iandiu culta minime poſtulat, vt diuturni ſilentij mei vlla excuſatione vtar; non ignoras enim eos, qui maximam domeſticarum rerum curã ſuſtinent, quiq; non modica commodis amicorum inſeruiendi cupiditate ardent, multis implicari negotijs, & occupationibus diſtineri, ſcito tamen eam vnam atque præcipuam taciturnitatis meæ cauſſam extitiſſe, poſteaquam illas tuas litteras accepi, in quibus de* Polonico *negotio, flumine illo eloquentiæ tuæ aureo ſigillatim agebas, quòd ex earum lectione tantus me ſtupor oppreſſit, vt ingenium meum poſthac tardum & hebes, minimeq; ad reſpondẽdum tibi accommodatum fuerit.* Nec *te hoc latuit, quippe qui ex litteris meis vernacula lingua atque inſulſe ſcriptis me ab hoc officio deterritum eſſe ſenſiſti.* Itaque *cum certo ſcirem in mentem tuam irrepere nõ poſſe, vt tuæ ſingularis virtutis atque incredibilis humanitatis, tuorumq; in me meritorum memoriam vnquam deponam, (noſti n. ſenſus meos) cæpi in te ſalutãdo negligentia ita ple*

cti.

ſtli,atque pigritia, vt ad hoc vſque tempus perductus fuerim. Nunc *vero, ne tuæ ſummæ in me benignitati ac beneuolentiæ nimis confidere, eaq; abuti tibi viderer, differre amplius nolui, quin breues has ad te darem litteras:* Nam *veritus non ſum ne non legendis nugis meis à publico interpretãdi munere parumper animum tuum auoces, quò non mediocre ſtudium erga me tuum ſignificare minime prætermittas.* Ex *quibus nullum vnquam me tempus ac diem intermiſiſſe cognoſces, quin* Mureti *mei ſummi viri, cuius imaginem quotidie video, ſemper meminerim, ac ſæpe conſentientibus vnà mente & voce communibus amicis noſtris, ac multis collegis meis te vnicum ætatis noſtræ decus & ornamentum eſſe concluſerim.* Tu *quoque ſi mei memoriam conſeruas, & priſtinum me locum apud te tenere pateris, ſicuti ne dubitem, conſtantia ac firmitas animi tui, dulciſsimaq; natura tua mihi promittunt ac ſpondent qui me ſit felicior, nemini concedere me perſuadeas tibi uelim.* V*ale* Murete *optime,* Quem Clementiſimus Deus *diuitiſsime ſeruet ac protegat.* Ferrariæ. V I.*id.* No*uemb.* CIↃ IↃ LXXVIII.

M. ANTONIVS MVRETVS. Paullo Sacrato ſuo.

HERI *accepi à te litteras reliquarum tuarum ſimillimas, id eſt, amorem & ſuauitatem omni ex parte ſpirantes. Pro quibus quid tibi mi Sacrate rependere poſſim, equidem non uideo. Nihil enim iampridem iubes me tua cauſſa facere: neque ſanè, vt ſunt tempora, video, qua in re opera mea vti poſſis. Sed ſi quid euenerit, noli, quæſo dubitare, quin is erga te ſim, qui debeo, & qui ſemper fui. Mihi crede, neque te quidquam vſquam amabilius eſt: neque tu quenquam habes amantiorem ac ſtudioſiorem tui. Sed hæc inter nos ſuperuacanea videntur. Mitto ad te libellum quendam, quem in gratiam* τοῦ ἀνεψιοῦ *ſcripſi. Cum enim prima elementa latinæ linguæ ei tradere vellem, nihil reperiebam ad captum tam teneræ ætatis accommodatum. Ea res coegit me repueraſcere. Neque magis id mihi alienũ aut indecorum puto, quàm olim Ageſilao fuit deprehendi cum filiolis equitantem in arundine longa. Tu illud carmen, qualecumque eſt, quia meum eſt, libenter, vt opinor, videbis. Vale. Romæ xvi. Kal. Decemb.*

CIϽ IϽ LXXVIII.

IACOBO SACRATO Epiſcopo Carpentoracti. Fratri ſuo. s. d.

CVM litteræ Ioannis Pauanati Antiſtes optime mihi gratæ ſemper fuerunt. quæ mihi ſignificabant, quanuis de communibus iſtius regionis calamitatibus valde ſollicitus eſſes, te tamen tuam iſtic ualetudinem optime tueri: Tùm eæ, quas proxime accepi, incredibilime gaudio affecerunt, ex quibus cognoui, cum ſummus idemq; ſanctiſsimus Pontifex noſter Gregorius xiij fortiſsimorum militum manum iſtuc miſerit. qui non modicum religionis noſtræ aduerſarijs terrorem iniecerint (in quo certè optimi illius Principis vigilantia, & grauis populorum ſuorum ſalutis cura ab eo ſuſcepta vel maxime apparet) vos conciliandi pacem, & cum aduerſarijs confirmandi, nec non Minerbam recipiendi magnam in ſpem veniſſe. Quo nuncio nihil certè dulcius, atque ſuauius, & præſertim tua cauſſa, audire potui: Nam cum tu diœceſis tuæ viſendæ ſummo ſemper ſtudio arſeris, quo in munere animarum curationem penitus fixam eſſe non te fugit, tametſi conſcientia huius prætermiſſi officij te non ſtimulet; nemo enim non ſcit tibi nunquam defuiſſe voluntatem, ſed propter hominum nequiſſimorum inſidias facultatem ereptã fuiſſe; eadem

dem tamen te magnopere delectabit, cum in ea cogitatione atq; cura, quæ te valde attingit, verſari, & comiſſo tibi gregi aſſidue inſeruire poteris; Quod vt ſpero, tunc aſſequeris, cum æterni Dei benignitate, ac Gregorij ſolertia pax iſtic fuerit, quæ nihil habitura ſit inſidiarum: Ea enim cum ſit futura tranquilla libertas, te Antiſtitem, & homines iſtos qui iandudum ſummis difficultatibus atque incommodis affecti fuerunt, valde recreabit, teq; ad implendas partes tuas alacriorem promptioremq; reddet. Verum à Deo immortali ſummis precib. contendere in iſta prouincia cuncti debent, vt hæc ſumma pax, ſummaq; tranquillitas ſibi ipſis ab eo detur, ſicuti ijs, qui tuæ fidei crediti atque commiſſi ſunt, mihi exploratum eſt te non ſolum verbis, ſed exemplo etiam ſuadere, vt faciant. Quod diuinum beneficium ſi impetrauerint, vt dubitare non licet, dummodo ad illius voluntatem conformare ſeipſos, ac præceptis parere ſtatuant, fortaſſe mihi quoque ex vtriuſque noſtrum ſentẽtia ſuccedet, vt quod diu opto, te ſemel uideam, & in complexum tuũ veniam ſi eodem iuuante Deo ad id tempus ambo ſpiritum duxerimus. Interea hac te ſpe ſuſtenta nos aliquando vnà fore: Et tibi perſuade te à me amore vere fraterno mirum in modum diligi, ac propter eximias virtutes tuas valde obſeruari: Me quoque à te amari ita mihi conſcius ſum, vt rogare pudeat.

deat. Hoc tantum abs te peto, vt valetudinem tuam diligenter curare ne negligas. Quod quàm gratum ijs, qui à te pendent, futurum ſit, certè non ignoras. Vale Antiſtes humaniſs. omnes collegæ mei, cæteriq; amici noſtri te amanter ſalutant, diuturnamq; à Deo clementiſſimo incolumitatem ac felicitatem tibi precantur. Tu Marcum Fortiam noſtrum virum valde egregium meo nomine ſaluere iube. Ferr. vij. Kal. Ianuar.

CIↃ IↃ LXXVIII.

CÆSARI GLORIERIO Romam.

Ex litteris Tiberij noſtri, ad quem epiſtolas duas miſeram, alteram quidem, quæ clariſſimo Sirleto redderetur, alteram vero, quæ ad Epiſcopum Carpentoracti fratrem meum tabellario committeretur perferenda, te illas legiſſe atque probaſſe cognoui, quod intelligere mihi iucundiſſimum fuit, at multo magis honorificum laudari me à viro omni laude cumulato. Sed vereor Cæſar, ne amori nimium tribueris, ac de iudicio tuo quod ſeuerum & acre admodum eſſe ſolet, non parum derogaueris, Tibiq; vſu uenerit, quod pleriſque, ut tute ſcis, qui amicitia potius adducti iudicant, quam veritate. De te autem ita ne ſentire debeo, qui grauiſſima & publica negotia cum magna tua dignitate quoti

die

die itageris, vt amplum cuncti tibi dent ſummæ integritatis, conſtantiæ, prudentiæq; teſtimonium? Non opinor *in te tantum virum huiuſmodi ſuſpitionem cadere poſſe;* An *tu ſingulari tua humanitate impulſus ad litteras meas lectionem adhibuiſti nullum interponens iudicium, quò mihi admodum faueres, propenſumq; in me animum tuum declarares?* Nam *cum tuam in me non mediocrem beneuolentiam antea ſæpe expertus fuerim, pro qua me omnia tibi officia debere ſum profeſſus, nunc quoque vt tuo mirifico me ſtudio ornares, à multis & optimis actionibus tuis tantiſper animum atque cogitationē auertere voluiſti, dum paululum otij in legēdis meis nugis conſumeres.* At *quo ego te munere remunerer, cum mihi nihil ſuppetat præter voluntatem? equidem incredibili te obſeruantia perpetuo colam, tuaq; ſæpe in me merita prædicando curabo, vt me ab omnibus quàm gratiſſimum erga te cognoſci valde lætere.* Vale *Cæſar optime, quem* Deus *opt. max. ſeruet atque fortunet.* Ferrariæ. *xvi. Kal.* Febr. CIↃ IↃ LXXIX.

PAVLLO FORTIÆ.
Patauium.

NEMINEM *reperiri arbitror* Paulle *ſuauiſſime atque humaniſſime, qui eloquētia adeo præſtet (vt de me dicere mittam,* qui

qui parum ingenio poſſum copiaq; dicendi) ut verbis explicare queat, & quanta ſit in te ſuauitas, humanitas, atque liberalitas, & quantum induſtria, probitate prudentiaq; excellas, preſertim id ætatis adoleſcens. Tan*ta enim morum elegantia tantoq; lepore hic affluens fuiſti, ut me atque eos omnes, quibus mecum unà te intueri & contem plari, iucundiſsimaq; conſuetudine tua frui licuit, non ſolum ad amorem tui inflammaris atque incenderis, ſed in admirationem clariſsimarum tuarum virtutum etiam traduxeris: Singulari autem comitate affabilitateq; ſermonis ſic tibi animos noſtros conciliaſti, ut nos penitus etiam deuinxeris. Quò fit, ut acerbiſsimo certè dolore à te diuulſus fuerim.* Nã *ut aduentus tuus ſuauiſsimus optatiſsimusq; me mirum in modum recreauit, maximumq; mihi ſolatium attulit, quòd optimo ac ſplendidiſsimo ingenio tuo, indoleq; egregia atque præclara delectarer, ita diſceſſus me valde afflixit, qui me priuauit aſpectu tuo, & incredibili ea voluptate, quam ex tuo congreſſu capiebam.* A*c nimirum cum optimarum actionum tuarum (quid enim non agebas cũ dignitate ac venuſtate ?) ſuauiſsimorumq; morum tuorum mihi venit in mentem, & quemadmodum in oculis tuis, in ore tuo, vultuq; modeſto & hilari acquieſcerem, ita mærore conficior, ut niſi me conſolarer exiſtimãs non longinquum inter nos digreſſum atque*

diſceſſum

diſceſſum fore, ſi promiſſum, quo teneris, ſeruare tibi libuerit, vt uidelicet ad nos cito reuertare, ipſi, mihi crede, non reſiſterem. Cui tu ſi aliquam dulciſsimis litteris tuis medicinam attuleris, quibus me hortere, bono ut animo ſim, mihiq; ſignifices tuam erga me beneuolentiam in te meæ pariter reſpondere, & te mecum propediem fore, ut tu in dies magis ſingularem meum erga te amorem experiare, egoq; item miræ humanitatis tuæ ſuauitate fruar, me abs te gratiam iniſſe, atque in mentem tuam profectò irrepſiſſe confidam. Quæ ſpes ne me tibi toto animo deditum fallat, te magnopere etiam atque etiam rogo; Facies enim quod eximiæ, ac præſtantis naturæ tuæ proprium eſt, ac generoſæ tuæ virtuti conſentaneum. Ego interea Paulle ornatiſsime nullum diem intermittam, quin pulcherrimi nominis tui mentionem vſurpem, teq; animo & cogitatione aſsidue abſentem complectar; Quem vti filium & vnice ſemper diligam, & cuius admirabiles virtutes, quoad ducam ſpiritum, mirifice colam. Vale. Et ſocium tuum Caſtelli noui dominum, quē ego quoque filij loco duco, & ſumma beneuolentia proſequor, nec non M. Antonium Aquenſem, quem non vulgariter amo, meo nomine ſaluere iube. Carolum vero noſtrū, quem ob eximiam eius doctrinam quotidie pluris facio, multa ſalute imperti: Ferrariæ. vj. id. Martij. CIↃ IↃ LXXIX.

O M. AN-

M. ANTONIO MVRETO i. c. Romam.

N V N Q V A M *infitiabor, nec enim debeo, conſcientia me ſtimulante, quin ſubiratus fuerim, non tibi quidem* Murete *præſtantiſsime, qui enim poſſum ei ſuccenſere, qui à me mirum in modum colitur, & in ſinu mihi eſt, cuiusq; nomen impreſſum atque inſculptum à me iampridem habetur?* A*ccedunt tãta eius in me officia ac merita, vt ei iandudũ addictus ſim; Sed tarditati tuæ atque in ſcribendo negligentiæ.* Nam *cum non ignores, quàm moleſta ſit diuturna expectatio ÿs, qui negotia ſua omni feſtinatione expedire properant, prætetuliſti in delitÿs tibi eſſe me cruciare, nec ante litteras ad me miſiſti, quã ira me vidiſti exardeſcentem, quò me rideres, neque tu id negas; ais enim tibi iucundiſsimum fuiſſe ſubiratum me intueri, meq; in ira ſuauiſsimum vocas; quas cum legerẽ, vix riſum tenere potui, ac dixi* Muretũ *meũ, qui me iandiu in ſua poteſtate habet, mecum feſtiue iocari, & aperte quidem, ſed ſuauiter mihi illudere.* Ego *autem vehementer lætatus ſum* τῆν εὔμοσιν ἐμὴν *tanti apud te fuiſſe, vt ea te ad ſcribẽdum litteras tam dulces tamq; facetas impulerit, quæ omnem mihi moleſtiam abſtergerent, aliter enim eas forte expectarem.* In *quibus extremis, quòd*

mihi ex ſtudijs tuis te munuſculum parare inquis, tantæ mihi nuncius hic fuit incunditati, vt ne ueſtigium quidem iræ amplius in me reliquum ſit : Et quis tam ferreus aut durus eſt, quem tu ſingulari orationis tuæ ſuauitate non mollias? Quare, quòd non ſolum me recreaueris, & hac ægritudine leuaueris, ſed ſpem etiam mihi oſtenderis fore breui, vt promiſſum exoluas, permagnam nunc habeo tibi gratiam, & more meo propediem referam; Si autem fidem tuam liberaueris, quoniam hoc erit mihi grauiſſimum atque firmiſſimum amoris erga me tui argumentum, cumulatius quotãnis meum quoque munus augebo, vt intelligas, licet æqua conditione in remunerando tecum diſceptare non ualeam, quòd me præ te pro nihilo ducam, magnĩtudine tamen animi, ac vi amoris me á te nunquàm ſuperatũ iri: Quin etiã meum ſtudium eximium ac ſingulare ſemper (quoad hac luce fruar) ita tibi nauabo, vt te à me in colenda officijs veteri amicitia noſtra victum fuiſſe tandẽ fateri cogare. Vale ætatis noſtræ decus. Ferr. xv. Kal. April. CIↃ IↃ LXXIX.

FABIO MASETO.
Romam.

Delectauerunt me mirum in modum litteræ tuæ Fabi dulciſſime, ex quibus intellexi tibi periucundum eſſe, cum occaſio tibi offertur

tur Muretum illum ſummum virum adeundi, eumq́; meo nomine peramanter ſalutandi.à quo me vehementer amari perſpicias. Ego vero tibi affirmo grata admodum mihi eſſe officia illa pleniſſima ſtudij, quæ mihi quotidie tribuis, & illud præſertim, quo in reddendis eidem Mureto litteris meis libenter fungeris. Pro quibus immortales tibi gratias agerem,ſi tua ſingularis humanitas hoc à me præſtari pateretur. Sed quæ te impulit vt ad me ſcribas te à me accipere beneficiũ, cum illud mihi das, egregiamq́; operam tuã nauas,eadem mihi animum addit, vt omnia mihi de te pollicear, quæ à iuuene omni virtutum genere excellenti expectari debent. Ac quidem magnopere lætor me tuum mihi animum conciliaſſe,atque ad vſus meos coniunxiſſe, meq́; in eo felicem reputo, qui te iſtic habeam etiam internuncium,cuius fidei ac probitati omnia mea cõmittere tuto poſſim. Tu autẽ qua diligentia, & quo ſtudio mãdata mea exequeris? In quo certè apparet animi tui magnitudo;Nã cum in ſuperiorib. litteris tuis operã mihi tuã atque induſtriã prompte detuleris,fidem profectò ita præſtas, vt nullo loco mihi deſis. At Fabi humaniſſime cũ me ſenem à te florentiſſimo ac lectiſſimo adoleſcente officijs ſuperari turpe non ſit, præſertim quòd in ea es vrbe, in qua magnus tibi campus eſt, & ad benemerendũ de ijs, qui tibi grati ſunt, magna facultas; nunquã

tamen in amando tibi cedam; cum enim te loco filij duxerim ab eo tempore, quo tecũ amicitiam iunxi, tibiq́; propter eximium ingeniũ tuum, doctrinam, comitatem, ſuauitatem morum, incredibilem beneuolẽtiam ſemper oſtẽderim, nonne indignum eſſet (quod nec fert natura) à filio patrem in amore vinci? Quare exploratum habe me quidem tibi poſthac pro tot tuis & ſummis in me officijs maxime debiturum eſſe, te vero mihi in perpetuum adeo cordi fore, vt nulla tua neque ſcribendi intermiſsione, nec negligentia, aut vlla mei etiam obliuione (quod de te exiſtimare fas non eſt) vnquàm ex animo te meo effluere patiar, & crebram tui mentionem à me ita factam iri, vt in tuo dulciſsimo mihiq́; gratiſsimo nomine valde acquieſcam. Quod reliquum eſt, te rogo & obſecro, vt Iulium patruum tuum clariſsimum atque humaniſsimũ virum meis verbis ſalutes, eiusq́; erga me beneuolentiam tuearis; tu enim ſcis quantopere in gratia apud illum eſſe cupiam. Ad tot ac tanta tua in me ſtudia cumulus accedet. Vale. Fabi dulciſsime. Ferr. xvi Kal. Aprilis. CIↃ IↃ LXXV.

CAROLO DE HANFFRENGVES.
Patauium.

NVNQVAM *ad tuas ſuauiſsimas litteras reſpondi Carole eruditiſsime multis oc-*

cupa-

cupationibus impeditus. Et *quanquam hic tibi poſtea, præſens dum eſſes, gratias egi, quòd me pulcherrimo munere decoraſti, nunc tamen prætermittere nolui, quin has ad te darem, cum præſertim ante oculos lucubrationem tuam aſsidue habeam, quæ me de officio admoneat. Scito igitur* Carole *te à me cùm propter acerrimum ingenium tuum, tùm propter ſummam doctrinam plurimi fieri, tuãq; mirificam conſuetudinem, qua ob dionyſia parum frui mihi licuit, à me valde deſiderari. Quid enim mihi euenire poſſet iucundius, quàm tecum de ſtudijs ſæpe & multum communicare? Quem cum optimarum artium ſciẽtia excellere ijs paucis ante diebus, quibus vnà fuimus, ex collocutionibus noſtris facile perſpexerim, non vereor, ſi cum eo ſermonem denuo conferrem, ne non doctior euaderem. Atque hoc aſſequi poſſem, ſi tu* Paullo *noſtro* Clariſsimo *ac florentiſsimo adoleſcenti perſuadere eloquentia tua conareris, ut hũc vnà proficiſceremini.* In *quo vt elabores, abs te magnopere peto, ſi cupis vt credã me à te vehementer amari.* Nam *quàm ſuauiter, & quàm hilariter tempus traduceremus, ſi vnà ſimul verſari nobis liceret?* Ego *certè beatum me cenſerem, ſi eos etiam nunc ſocios atq; conuiuas haberem, quorum nuper hilaritas et ſuauitas incredibilis me admodum delectauit.* Non *deſpero tamen quin Carolus meus omnia moliatur, vt & ſtudio & cupiditati*

meæ morem gerat. Quod ſi perfeceris, exploratum habe hoc ita mihi gratum fore, vt ego quoque tua cauſſa, quæ à ſtudioſiſſimo tui expectare poſſis, omnia ſim facturus, nec te beneuolentiori, nec amiciori operã tuam nauare poſſe: Ego quoque non vulgarem amicitiam, quam inter nos ſtudiorum ſimilitudo cõiunxit, nunquam officijs colere deſinam, nec, quanquam longe diſiuncti erimus, tuæ tamen excellentis virtutis ac probitatis vnquã obliuiſcar. Quo erga me animo tu quoque ſi perpetuò fueris, nos inter nos amoris vinculo ita aſtrictos fore confido, vt nulla dies coniunctionem noſtram dirimere ualeat. Vale, atque cum Paullo Fortia noſtro lectiſſimo & ornatiſſimo fac vt ſim in gratia, quam me quotidie aucupari non te fugit. Ferrariæ. xiij. Kal. Aprilis.

PAVLLO FORTIÆ. Patauium.

NON *miraberis Paulle dulciſſime me tardius litteris tuis reſpondiſſe, quàm expectabas, Ferraria enim aberam, cum illæ ad me perlatæ fuerunt: Sed in reditu meo domũ magnam certè ex epiſtolæ tuæ lectione delectationem cepi, quæ adeo elegans mihi viſa eſt, vt non ab adoleſcente, ſed à uiro, qui iã-*

diu

diu in eloquentiæ ſtudio verſatus fuerit, ſcripta eſſe videatur; grauitate enim ſententiarum adeo referta eſt, & verborum copia ſelectorum, vt (ne mentiar) dicendi copiã ac doctrinam tuam valde admirer, eximio vero & acri ingenio admodũ faueam, teq;, ſi in his ſtudijs perſeueraueris, à nemine ſuperatum iri pro certo habeam. Quòd autem mihi tantum tribuis, quantum non agnoſco Paulle ſuauiſſime, hoc eximiæ, ac præſtantis naturæ tuæ proprium eſt: Ita enim educatus es, ita inſtitutus, vt ſenes quoſcunque obſeruare & colere aſſueueris: Nam quid in me potiſſimum eſt, quod te iuuenem floretiſſimũ, gratioſiſſimumq; allicere potuerit, vt me tan topere laudes, ac tanto amore perſequare, vt te facere litteris tuis mihi demonſtras? Itaq; & eximia virtus tua, quæ plurimum elucet, & lepor venuſtasq;, quibus tu affluis, te verum dignoſcere non ſinunt, omnes autem tui ſimiles arbitraris, cum tibi tamen perpauci pares ſint, qui ea ſinceritate ingenuitate, morumq; ſuauitate atque modeſtia, qua tu magnopere excellis, præditi ſunt. Verum negare non audeo, quin mirum in modum gaudeam me à te nobiliſſimo adoleſcente mirifice diligi, maximeq; beatum ac felicẽ me pu tẽ, ſi hac in ſententia perſeueraueris, vt me ætate grauẽ, ac ſenio iã confectũ beneuolentia tua recreare uelis. Quod ut mihi proſpere eueniat, quotidie Deũ clementiſſimũ precabor,

vt tuam optimam erga me voluntatem tueatur ac protegat ; Deinde epiſtolam tuam ſeruabo, quam in lucem proferam . cũ mihi promiſſum tuum exoluere recuſaueris. Reliquum eſt, vt me de ſtatu tue certiorem facias, ſicut te facturum polliceris, & an iſta ciuitas te delectet, ijsq; rebus abundet, quas te hic deſiderare præteferebas; facies enim mihi tam gratum, quàm quod gratiſſimum, mihiq; auide hoc intelligere cupienti cumulate ſatisfacies. Vale Paulle optime ac mihi cariſſime. Ferr. Kal. April. CIↃ IↃ LXXIX.

GVLIELMO SIRLETO
Cardinali.

ET *ſi ſcio te de mea conſtantiſſima in te voluntate minime dubitare, ſicut me abs te diligi ſumma benignitas ac bonitas tua mihi ſpondet, præclariſſima enim & tuæ in me beneuolentiæ, & meæ item incredibilis erga te obſeruantiæ ſigna iandudum extant, renouare tamen in animo tuo Sirlete Ampliſſime memoriam Paulli Sacrati tui mirum in modum delectat. Quid enim excogitare queo dulcius, quàm in eo ponere operam, vt non ſolum non elabatur, ſed ſummi etiam atque ſingularis ſtudij erga te mei recordatio apud amplitudinem tuam recens vigeat? Nam cum ego toto animo de tua mira humanitate, & admirabili atque incredibili virtute quotidie*

tidie cogitem, te intuear, eoq; me beatum du-cam, quòd in mente tanti viri me inſidere credo, hoc tibi ſæpe ſignificare, licet fortè neceſſe non ſit, mihi tamen magnopere iucundum eſt, ne te grauiſsimis atque perpetuis occupationibus diſtentum non nulla interdum (quod de te viro prudentiſsimo & optimo ſuſpicari nefas eſt) caperet mei obliuio. At quod ego litteris abſens præſtare conor, id preſens iſtic Tiberius Pōpeius meus reipſa perficiet, teq; more iam ferè antiquo à me ſalutabit, quem quoniam abs te pro eximia præſtantiq; natura tua hilare acceptum iri oculis cernere mihi videor, me quoque tibi eſſe cordi mihi perſuadebo. Quod reliquum eſt, Illud à Deo clementiſsimo precibus contendere nō deſiſtam, licet indignus qui exorem & impetrem, vt te diutiſsime ſeruet, quò ego vnà cum ijs, qui abs te in clientelam recepti ſunt, hoc tanto bono gaudere poſsim. Vale Ampliſsime Patrone. Ferrariæ. Pridie no. Maij. CIↃ IↃ LXXIX.

FRANCISCO ALCIATO Cardinali.

COGITAVI *multum Ampliſsime Patrone, an tuis ſuauiſsimis litteris reſpondere deberem: cùm enim verebar nè tibi vehementer occupato nugis meis obſtreperem, tùm ne tecum litteris contendere velle vide-*

rer, & ideo tibi in ſuſpitionem arrogantiæ venirem. Sed cum Tiberius Pompeius iſtiꝰ Iacobi fratris mei Epiſc. procurator, qui non nihil indicij tibi oſtendit propenſiſſimi noſtri in te animi, ad me ſcripſerit te valde mi ratum eſſe, ac tu epiſtola tua affirmaueris planè ignorare, quid me ad ſignificandum tantum erga tuam amplitudinẽ ſtudium impulerit, meas partes eſſe duxi, vt te hac, quam pro tua modeſtia ſimulas, ignoratione liberarem, præſertim cum me abs te inuitari perſpiciam. Scito igitur me complures cauſſas & iuſtas habere te in eorum numero reponendi, quibus omnia officia debeam, & me penitus dedam; Primum enim cum magna ſit in hiſce locis nominis tui fama atque cele britas, & multa atque admirabilia de tua ſingulari doctrina, vitæ integritate, ac ſuauiſſimis moribus prædicentur, quibus congru entes ſunt conſtantiſſimæ atque optimæ actiones tuæ, an dubium tibi eſſe poteſt, quin ab ijs, qui quanquam nulla ipſi virtute præditi ſunt, eam tamen in aliis admirantur, mirifice colaris & plurimi fias? è quorum numero cum me primas ferre mihi perſuadeam, quæ ratio tibi ad ampliſſimam iſtam dignitatem aditum aperuit, eadem me potiſſimùm adduxit, vt te ornatiſſimum ac præclariſſimum virum ſuſpiciam & venerer. atque in mente cum hoc aſſidue mihi inſideat: tanto amplitudinis tuæ ſtudio incendor,

vt

vt niſi hæc tecum per litteras collocutio me refrigeraret recrearetq́;, igniculum eius deſiderij quo ardeo te de facie noſcendi, vix ferre poſſem. Accedit deinde, quod cum Alciati illius veteris, quẽ ego, hic cum adeſſet ipſe, ſemper tanti feci, quanti alium nemĩnẽ, cuiusq́; auditor ſæpe fui, imaginem in te videam, & à te patrem meum amatum fuiſſe intelligam, iure in te amorem transfundere debeo, & curare, cũ patris hæres ſim, vt illius beneuolentiæ, qua tecũ is coniunctus fuit, hæreditas ad me perueniat. In quo negligentia certè non plectar; Nã eam ſic adire conabor, vt tibi ſuadeã, ne me in tuorũ numerum aſcribere, & in clientelã tuam recipere aſperneris aut recuſes. Quod ego tamen liberalitate ac dulciſſima natura tua ſolum fretus, non mea vlla oratione me conſecuturum eſſe non dubito. Demũ in extremis litteris tuis, quòd ſcribis te meo rogatu maiori etiã ſtudio, quã antea fratris mei cauſſam adiuturum eſſe: ſingularis tua humanitas, ac benignitas extra cancellos profectò egreſſa eſt, magnamq́; mihi admirationem mouit: Non n. hoc à te deſiderare vnquam auſus eſſem. Sed quid cogitari hoc tuo facto ad coniungendum me tecũ poteſt admirabilius mihiq́; honorificentius? Equidem ex animo meo tam inſignem tuæ erga me voluntatis notam nulla vnquam delebit obliuio, nempe quæ in mentem meã ita irrepſit, vt nullo vnquam tempore effluat.

fluat. Sed impreſſam memoriam perpetuo retinebo; Tantum perge, quæſo, ampliſsime Patrone in hac ſententia, & cogita te apud gratiſsimum & valde memorem hominem beneficium poſuiſſe. Ego autem enitar, vt pro Epiſcopo etiam ſpondeam, vt & tuas excellentes ac ſingulares virtutes qnotidie commemorando, & diuinis illis laudibus, quæ tibi maxime debentur, amplitudinem tuam efferendo, ſi non tua erga nos merita aſſequamur, at certè ijs nonnullo, licet pertenui, ſummæ noſtræ in te obſeruantiæ ac venerationis ſigno aliqua ex parte reſpondeamus, quod quotannis omnino, quoad viuemus, tibi dabimus, poſtquam noſtra tibi grata eſſe, ac patriam noſtram æque ac tuam tibi caram eſſe cognoui. Vale ampliſsime Patrone, quem Deus opt. max. diu ſeruare ac fortunare velit. Ferrariæ. viij. id. Quintil.
CIↃ IↃ LXXIX.

AVGVSTINO VALERIO
Epiſcopo Veronæ.

CVM *primum Ferrariam venit Franciſcus Gandinus meus Antiſtes humaniſsime, me lætus conuenit atque hilaris, mihiq; narrauit te longum de tua non mediocri in me beneuolentia animoq; propenſo ſermonem habuiſſe, in ſe vero tot ſtudia contuliſſe, vt præ pudore vix ipſe conſpectum tuum ferret.*

Addi-

Addidit prætrea, licet nihil amplius tua cauſſa facere ſtatuiſſet, procuratoribus tuis ſubiratus, qui contra voluntatem ac mandatum tuum pacta promiſſaq; non ſeruarunt, à te tamen cùm verbis grauibus, ac valde ſuauibus, tùm factis egregijs in ſententiam ſe tuã ſic fuiſſe adductum, vt etiam in petitione tua ſe tibi obſecuturum ipſe ſpoponderit: Quòd certè mihi mirum accidiſſet, niſi is mihi poſtea affirmaſſet te ſibi (vt tu quoque ſcribis) optime cauiſſe: Nam ſi tu illum audiſſes de tuis familiaribus expoſtulantem, nunquã eius voluntatem immutatam iri in ſpem veniſſes. Ex quo patere poteſt, quanti ſit apud eum auctoritas & perſona tua; quantiq; ab eo fiat admirabilis tua virtus. Ego quidem magnopere gaudeo non ſolum ex mea tuaq; ſententia rem ſucceſiſſe, ſed maximam etiam tibi gratiam habeo, quod eodem tempore meis commodis atque vtilitatibus adeo inſeruiſti, vt nihil opportunius mihi accidere uiderim. Itaq; ſummæ tuæ humanitati, & in me liberalitati cum re ipſa ſatisfacere me vnquam poſſe deſperem, magna vero inopia orationis innumerabilia tua in me officia abunde prædicare non valeam, reliquum eſt, vt te ualde admirer Antiſtes optime, ſicut præſtantiſſimæ tuæ virtutes poſtulant: Quod ſanè facere cœpi ab eo tempore, quo te de facie noſſe Dei benignitate mihi licuit; tunc enim amore tui captus fui viri integerrimi ſpectatiſſimiq;,

miq; , nec te ſuſpicere ac venerari vnquam deſinam, quoad ſuperſtes ero, cum tu ſingulari me beneuolentia complecti, & omnia tua in me ſtudia conferre non ceſſes. Quòd ea, quam iuſſu Gregorij XIII. *ſummi Pontificis cepiſti, prouincia* Dalmatiam, *totamq; ferè* Græciam *& oras maritimas viſitandi, tãta integritate, prudentia, alacritateq; perfunctus es, vt cunctos illos homines ſtupidos redd ideris, ſicut audio, & penitus tibi deuinxeris, gratulor tibi primũ vereq; gratulor, teq; ſaluum & incolumem ad tuos rediſſe ex animo lætor; Illud deinde te ſcire volo Illuſtria hæc ac glorioſa facta tua ſic in hiſce locis laudari commendariq; , vt non me ſolum, ſed omnes, qui hæc audiunt, ſtupor opprimat: Pro quibus vt te ad altiorem dignitatis gradum aſcenſurum eſſe augurer, da mihi, quæſo, hanc veniam; pollicetur enim mihi Gregorij ſapientia & bonitas, cum ego ad te propediem acceſſurus ſim (nunquam enim me conſpectu tuo dulciſsimo optatiſsimoq; fruendi ſatietas tenuit) ornatu alio tuis præclaris in* Chriſtianam Rempub. *meritis magis conſentaneo te ornatum, à me ſalutatum iri. Sed hæc coràm, vt ſpero. Interea me totum tuum, tibiq; iampridem addictum fouere ac amare perge.* Vale Antiſtes *dulciſsime, quẽ æternus* Deus *perpetuó ſeruet atq; fortunet.* Ferr. *iiij.* No. *Octobr.* CIↃ IↃ LXXIX.

OCTA-

OCTAVIO SANCTACRVCIO Epiſcopo Ceruiæ. Taurinum.

SÆPE *ac multum cogitaui Antiſtes optime atq; doctiſsime, qua ratione adductus Iacobus Philippus à te per litteras petierit, vt ſe mihi commendares, præſertim cum ipſi aditus ad me nunquã difficilis fuiſſet, nec interpretes ſuæ voluntatis defuiſſent.* Sed *cum ab euentu facile ſit iudicium, animaduerti eum à* Deo *opt. max. ad hoc munus obeundũ afflatum fuiſſe mea potiſsimum cauſſa, vt cõciliandæ mihi beneuolentiæ tuæ & iungendæ tecum amicitiæ ipſe auctor eſſet & internuncius.* Qui *cum tibi mirum in modum gratus ſit & ita iucundus, vt cum in his locis ades, eum à conſpectu tuo longe abeſſe nunquam permittas (ſummam enim iuuenis probitatem, modeſtiam, ſuauitatemq; iampridem noſti) facile à te impetrauit, vt cum tu prior litteras ad me dederis, ad quas ego quoque reſponderim, neceſsitudo inter nos conſtituta fuerit:* Quam *cum ego colere debuiſſem & te ſæpe ſalutando, & certiorem te de ijs faciendo, quæ poſtea ſecuta ſunt, præſertim cum amplum ſcribendi argumentum mihi ſuppeteret, hactenus tamen meas partes implere prætermiſi, non mea quidem negligentia nec obliuione tui, ſed multis*

nego-

negotijs diſtentus, meq; tuo amore iudicandi non dignum occaſionem tibi dedi. Nunc impulſus conſcientia officij mei, teq; retinendi cupidus, ne in aliquam malam de me opinionem diſcedas, licet ſingularis tua virtus atq; humanitas me hoc ſentire de te prohibeat, has ad te mittere, perferendasq; curare duxi, quæ tibi multa ſignificent, primum te propter eximias virtutes tuas à me mirifice amari atque coli; Deinde tui mentionem ſine iucunda conſtantiſsimarum atque optimarũ actionum tuarum commemoratione ac laudũ prædicatione nec à Iacobo Philippo nec à me intermitti: Demum ſummam à me tibi gratiã haberi, quòd iuuenem mihi talem propoſueris, qui ſenectutem meam admirabili lepore ſuo & moribus modeſtiſsimis valde reficiat & recreet; Cuius quidem eximias virtutes ſi narrare velim præſertim tibi, qui eius animum, omnesq; ſenſus cognitos habes, ſuperuacaneum ſit, eum vero laudare ſicut par eſſet, mihi prorſus verba deſint; Illud ſilentio non præteribo, quamuis illius de me opinioni, quã certè nimis magnam mente comprehendit, non reſpondeam, tantam tamen in hoc ſuauiſsimo iuuene conſtantiam atque ſtabilitatem à me perſpici, vt eum admirer. Nam ille quotidie & me obſeruare, & mecum familiariſsime verſari non ceſſat. Itaque tantis me amoris indicijs ita ad ſe allicis, vt omnia me ſtudia atque officia ipſi debere fatear. Ego quo-

quoque cum ſingulari humanitate ac beneuolentia complecti, mutuamq; illi uoluntatẽ tribuere non deſino, conorq; omnibus viribus illi declarare, quòd in animum meum ita influxerit, vt ex eo effluere non queat. Qui aperte perſpicit, quotieſcunque ſe in conſpectum meum dat, incredibili me toties iucunditate affici. Atque cum hæc ita ſeſe habeant, quod illius cauſſa rogatus feciſti, vt mihi perſuaſeris, in familiaritatem meam Iacobum Philippum vti reciperem, cum is tamen commendatione hac non egeret, id mea cauſſa exequi non recuſabis, (hoc enim officium mihi maxime neceſſarium eſt) vt eum horteris, ac pro tuo iure illi præcipias, ne ab inſtituto deſiſtat, ne ve à ſententia decedat; magno enim dices ei fore dedecori, ſi vitium inconſtantiæ non fugeret, ac laborem ad me ſcribendi te inanem ſuſcepiſſe vellet. Quo me beneficio ſi affeceris, vt illum videlicet in officio valde confirmes, ne dulciſsima illius conſuetudine, dum viuo, ac ſuauiſsimo aſpectu caream, non modo hoc tuum egregium factum gratiſsima memoria proſequar, verum perpetuo etiam adeo tibi addictus ero, vt me prorſus in tua poteſtate ſis habiturus. Vale Antiſtes humaniſsime, cuius actiones omnes Deus præpotens & immortalis fortunet. Ferrariæ. v. Non. Octobris. CIↃ IↃ LXXIX.

M. AN-

M. ANTONIO MVRETO.
i. c. Romam.

ET ſi nullæ iandudum litteræ meæ ad te perferuntur Murete præclariſſime, quòd nihil habeam noui, de quo te certiorem facere debeam, niſi uetus illud & vſitatum, me quotidie de te cogitare, te intueri, ſingulis horis te in ore habere, quòd celeberrimum Mureti nomen aureis litteris deſcriptum, in animo meo inſculptum ſit, non tamen ſilentium hoc conſecutum fuiſſet, niſi poſtulaſſet temporum ratio, vt rei domeſticæ tractandæ operam nauarem, cui hæc omnes cura prouidendi attingit. Noli enim exiſtimare (niſi mẽte captus ero,) me tibi vnquam occaſionem oblaturum eſſe memoriam mei obliuione delendi. Qui ſi caſus incidere poſſet, (quod ne cogitare quidẽ, nedum eloqui debeo, vt mea cauſſa ex animo tuo effluerem, ipſum quod in vita manerem, mihi certè acerbiſſimum eſſet. Nunc re familiari cõſtituta ſtatim vt redij ad ſtudia mea, differre amplius nolui, quin has ad te litteras darem. Sed quid ſcribã? quid? quòd aueo de te aliquid audire, & intelligere quid agas. Nam cũ more amantium tibi ſemper aliquid metuam, quid eſt quod pacatum animum meum atque tranquillum magis reddere queat, quam cum te rectè valere, ac feliciter lateq; viuere nuncius mihi affertur, &

ad

hoc accedit recens tua ſummæ meæ erga te obſeruantiæ recordatio? nihil, mihi crede; Cum igitur ex optimo ſtatu tuo mea pendeat vitæ tranquillitas atque iucunditas, æternũ ac immortalem Deum aſsidue precabor, vt te ſaluum ac ſuperſtitem mihi diutiſsime relinquat, quò monumentorum ſplendidiſsimi ac diuini ingenij tui non ſolum amicis tuis omnibus, ſed cunctis etiam nationibus copia largiſsime fiat. Vale ætatis noſtræ decus. Ferr. iiij. id. Octob. CIↃ IↃ LXXIX.

EPISTOLARVM
PAVLLI SACRATI
CANONICI
FERRARIEN.

Liber VI.

PAVLLVS SACRATVS
FL. ANTONIO GIRALDO.
S. P. D.

LITTERAE *tuæ Gyralde optime atque doctiſsime ſuperioribus diebus tua manu mihi redditæ, ad quas ego Dionyſiis ferijs impeditus reſpondere nō potui, dupliciter me delectarunt, mihiq; gratæ fuerunt, & quòd ualde diſertæ, ac ſententiarū grauitate refertæ mihi viſæ ſunt, & quòd amoris atque non mediocris erga me ſtudij pleniſsimæ: Nam cum ego antea te in pangendis verſibus admodum excellere nō ignorarem, quòd multa carmina tua omni ſuauitate atque verborum iucunditate condita legeram, te in oratione ſoluta haud multum poſſe putabam, in vtroque enim præſtare mihi*

propè

propè diuinum videbatur. Sed certè mea me feſellit opinio, quòd ex hebeti meo acre tuum metiebar ingenium, nec tanta te induſtria ualere arbitrabar, quantam mihi demonſtrauit lucubratio tua. Itaque gratulor tibi mirũ in modum, quòd in vtroq; genere vim ac facultatem ſis aſſecutus, vt meam de te opinionem longe uiceris, Et quibus legendæ diſertiſsimæ epiſtolæ tuæ poteſtatem dedi, admirationem moueris. Quòd autem in ea tantopere ſcripta mea laudas, nemo eſt, mihi crede, Gyralde humaniſsime, qui te nõ iudicio, ſed humanitate atque abundantia quadam amoris adductum, qualia eſſe deberent, elegantiſsime ſcripſiſſe non ſentiat; non enim agnoſco talia eſſe, quæ vt omni laude efferres, tantum operæ ac ſtudij conſumere debueris, quòd ea mihi tribuas, quæ tuæ excellenti virtuti iure aſcribenda ſunt. Sed cum animum tuum promptum atque alacrem perſpexerim ad me amandum, parem certè me tibi voluntatem redditurum exploratum habeas velim. Quod reliquum eſt, quando tempus illud in memoriam redigis, quo pueri vnà Baptiſtæ Piſoni operam nauabamus, nihil potuit accidere mihi gratius atque iucundius; Nam memineram quidem fuiſſe nos ſimul, nõ potuiſſe tamen vnà diutius verſari, quòd, vt tute rectè ſcribis, ad Auunculum meum Iacobum Sadoletum adoleſcens ego me contuliſſem, non omnino recordabar. Verum poſtea-

poſteaquam ſumma Dei optimi maximi benignitate ad hoc vſque tempus perducti ſumus. quod pueris nobis non licuit, id ſenes nos conſequi, vt veterem amicitiam noſtram nullis antea officijs cultam nunc diligentiſſime excolamus, conabimur ambo atque enitemur. In quo quidem mihi ipſi non deero; at curabo, vt intelligas me vehementer optare, vt magno inter nos amoris vinculo aſtringamur. Te quoque in hac ſententia fore vt à me in officio ſuperari non patiare, integritas tua ac præſtans virtus mihi perſuadet. Vale. Ferrariæ. xij. Kalen. Martij.

ALEXANDRO SARDO. S. P. D.

QVANTVM antea te amauerim, quantiq; fecerim quòd te eruditiſſimum eſſe non ignorarem, & ex eo patre ortum, qui omni virtutis genere, ac potiſſimum conſcribendæ hiſtoriæ laude floreret non te fugit Alexãder optime atque humaniſſime; Nã cum ego bis terue domi te conueniſſem, vt ea ex te cognoſcerem, quæ ad recuperanda amiſſa noſtra bona pertinebant, promptum meum erga te animum tibi declaraui, Et ego quoque abs te non mediocria tui in me amoris ſigna dari ſenſi. Itaque amicitiam illam, quæ patri meo, (vt recte ſcribis) cum tuo interceſſit, veterẽ renouauimus, & inter diuerſa planè nego-

negotia, atque cum alterum in alterius conſpectum ſe dare contigit, mutuis ſalutationibus ſemper coluimus. Nunc vero *cum ego epiſtolas meas ediderim, non immemor huius coniunctionis noſtræ, tuæq; egregiæ virtutis, quòd mihi in medullis hæreres, ſtatim earum volumen vnũ ad te miſi, quod quidem te maxima animi cũ iucũditate accepiſſe ex tuis ſuauiſſimis ac grauiſſimis litteris cognoſcere longe mihi gratiſſimum fuit, ſed te iudicium non adhibuiſſe, cum librum legeres, nõ obſcurũ autem tuum in me ſtudiũ ſignificare mihi voluiſſe, ex eo facile perſpexi, quòd ea mihi tribuis, quæ ſi agnoſcerem in me, arrogantiæ crimen nõ extimeſcerem.* Itaque *cum de hac lucubratione mea mihi gratularis, quæ familiæ noſtræ nobili (vt inquis) ornamentum maius allatura ſit, quis ambigit te mecum iocari* Alexander *optime?* At *ego tecum ſerio agam; nam pro nugis ſeria accepi, clariſſima videlicet monumẽta ingenij tui, quæ & ſummam eruditionem tuam & rerum cognitionem redoleant, quæq; magno mihi vſui futura ſint.* Ac *primum tibi gratias ago maximas habeoq;, quòd exile donum magno munere compenſaueris, nec æs, vt ais, ſed aurum ad me miſeris:* Deinde *magnopere lætor meam de tua virtute ac doctrina opinionem abs te mirum in modum ſuperatam fuiſſe;* Nam *hæc ſcripta tua à me antea nunquam viſa poſteaquam legere cæ-*

pi, tanti tua animi bona eſſe putaui, vt ſi par tuis laudibus mea fuiſſet oratio, libenter te in aſtra ſuſtuliſſem: Denique *te ſcire volo libros tuos ante oculos mihi verſatum iri, vt de tua ſingulari humanitate liberalitateq́; me quotidie admoneant, & neceßitudinem noſtram teſtificentur.* Tu *quoque ſi mea cauſa grauiora ſtudia tua interdum intermittere non grauaberis, vt delecteris lectione litterarum mearum, quas te probare pulchre aſſeueras, facies mihi tàm gratum quàm quod gratißimum;* V*ale* A*lexander mi amiciſſime atque eruditißime, meq́; amare perge.* Ex Æ*dibus noſtris. ix. Martij.* CIↃ IↃ LXXX.

HIERONYMO BENINTEND. S. P. D.

SCRIBIS *ad me* Hieronyme *doctiſſime atque humanißime librum epiſtolarum mearum tibi vehementer gratum extitiſſe, à teq́; maxima animi cum voluptate legi, ac lectum iri, cum à grauioribus ſtudijs tuis otij aliquid tibi dabitur. Sed tu munus hoc ita grauiter, itaq́; diſerte obijſti, vt in vtro magis excellas, in philoſophia atque optimarum artium ſcientia, an in eloquētia difficile admodum ſit iudicium.* Te *quidem publice philoſophiam profiteri, ac tanta omnium approbatione docere, vt pares tibi perpaucos, ſupe*

riorem

riorem neminem hoc tempore reperiamus, omnibus notiſsimum eſt, præſtare autem te tanta dicendi facultate, vt non me ſolũ, ſed eos etiam quibus legendæ ſuauiſsimæ epiſtolæ tuæ copiam feci, in admirationem traduxeris, vix, vt ingenue fatear, vnquam putaſſem. Nam *tam diuinum ingenium in te elucere, vt cum philoſophia omnium artium matre eloquentiam vnam de ſummis virtutibus omniumq; difficillimam facile coniunxeris, cui cadere in cogitationem potuiſſet? Sed de tua præſtantiſsima virtute non aggrediar ad dicendum, quæ ne laude quidem idonea ſatis affici poteſt, clariſsimæ enim luci tenebras offunderem.* I*llud miror te ſummo iudicio præditum materiam humilem nactum eſſe, in qua perelegans tua oratio verſata fuerit, nam cum mihi gratularis, quòd ornate ita dicã, vt quiſq; diſertus mihi inuidere queat, ac nugas meas laudas, te mihi aſſentari putarem* Hieronyme, *niſi te virum prudẽtem, & grauem noſſe mihi viderer.* V*eruntamen incredibilem humanitatem tuam atque eximium in me amorẽ agnoſco, qui te impulit, vt quod prorſus tuum eſt, mecum id communicare velis.* C*ui ego & magna erga te obſeruantia, & tuarum prædicatione virtutum reſpondere conabor, atque vt in eo etiam te vincam, operam dabo. Quòd te cupere oſtendis, vt in eorum te numero reponã, quos mea beneuolentia dignos eſſe ſtatuam, vtinã ego*

tam facile in animum tuum influam, ſicut tu iam in mente mea inſides; felicem enim me ac beatum ducam, ſi abs te tanto viro omniq; laude cumulato gratiam iniero. Te tamen miro ſtudio ac deſiderio noſtræ inter nos cõiunctionis teneri magnopere gaudeo; Quo ego etiam cum vehementer ardeam, ſpero fore vt voluntates noſtræ ita copulentur, vt immutationi earum nunquam locus relinquatur. In qua ſententia me conſtantem fore tibi nunc ſpondeo, te quoque in eadem permanſurum eſſe eximia tua virtus ac morum ſuauitas large mihi pollicetur. Vale Hieronyme excellentiſsime. vij. Kal. Martij.
CIↃ IↃ LXXX.

ANTONIO RICCOBONO. Patauium.

ACCEPI *epiſtolam tuam Riccobone doctiſsime longam illam quidem, ſed elegantiſsimam mihiq; longe gratiſsimam, in qua quòd miris ſcripta mea laudibus ornas, quanquam eximium erga me ſtudium tuũ in hoc vel maxime apparet, quòd ad tribuendum ea mihi te impulit, quæ nunquam in me agnoſcam. & ſemper ab humanitate tua incredibili ac beneuolentia erga me profecta eſſe fatebor, tales tamen tibi acri prædito iudicio et grauiſsimis in ſtudiis occupato videri lucubrationes meas, quæ abs te legantur, magno-*

pere

pere lætor. Quòd autem mecum expoſtulas, quaſi te contempſerim, cũ antea laudauerim, iniuria certe facis, non enim mihi venit in mentem hoc de te vnquã cogitare: Nã quòd multa affers, quæ tibi vera non ſolum veriſimilia eſſe videntur, ea contra à ſenſu meo abhorrere tibi nunc breuiter oſtendam. Ego Paullum Manutium ac Muretum mearum nugarum ſocios eſſe ſtatui, quòd vetus & maxima mihi cum eis familiaritas interceſſerit tot ac tantis in me officijs ac beneficijs ab illis culta, vt magnopere optauerim apud omnes teſtatum relinquere, quàm ipſis gratiſsimus eſſe velim, & me debere confitear; Nam cum memoria repeto quàm Paullus officij mea cauſa nihil vnquam prætermiſerit dum viueret, vt ſuum in me amorem demonſtraret; Quid item Muretus anno ſacro cum Romæ fui, non commiſerit, non molitus fuerit, vt ea impetrarem, quæ valde cupiebam, & etiam nunc non ceſſat, nunquam animo conquieſco, quòd tantum me officij onus ſuſtinere ſentiam, quantum me perſoluere unquam poſſe diffido. Hæ autem mihi tecum rationes, qui te adhuc de facie non noſſem, et cum alijs pluribus non fuerunt, quorum pulcherrimas epiſtolas domi ſeruo, quæ ferrent, vt munus hoc obire deberem, quod à me te deſideraſſe prætefers. Non enim meo, ſed illuſtrium virorum nomine librum inſcribi, nec meo, ſed illius qui lu-

trum quæreret ſumptu, typis deſcribi oportuiſſet. Quare mi Riccobone hanc, quæſo, cogitationem abijce, ne te à me non magni æſtimari putes, ſicut excellens tua virtus poſtulat, ac tibi perſuade me tuum conſilium approbaturum eſſe, ſi tuas ſine meis epiſtolas, ut ſcribis, typis mādaueris: Animaduertis enim Paullum Manutium laborum ſuorum ſocium atque conſortem nullum ſibi adiunxiſſe. Hoc quidem abs te obtinere cupio, vt interdum ad me ſcribas ea lege & conditione, cum tibi aliquid tua ſtudia otij ſuppeditabunt, ne tam diuturnum, vt antea, ſilentium à nobis fiat, ſemper enim à me reſponſum feres: Ac poſt hac amicitiam noſtram ita colamus, vt ſumma mihi tecum vtriuſque noſtrum officijs neceſſitudo conſtituatur. Vale mi Riccobone, Et Pacium ſcalam Iuriſconſultum optimum atque doctiſſimum, cum eum videre tibi contigerit, meo nomine ſaluere Iube. v. id. Martij. CIↃ IↃ LXXX. Ferra.

SIMONI CASSOLÆ.
Parmam.

MAGNAM *certè ex Nicolai Thalamij vtriq; noſtrum amiciſſimi humanitate atque officio voluptatem cepi, qui volumen litterarum mearum tibi reddendum curarit, ſed maiori ex diſſertiſſ. epiſtola tua, ac grauitatis*

*uitatis prudentiæq; plena, ſum lætitia affe-
ctus, ex qua & meam in te propenſam volun
tatem tibi gratã fuiſſe, & librũ tibi meũ val
de iucundum cognoui; in ea vero quod te mi-
rari quodammodo oſtendis, cum poſt aliquot
iam pridem miſſas vltro citroq; litteras lon-
gum inter nos ſilentium conſecutum fuerit,
nunquam ex animo meo diſceßiſſe tui memo
riam, cuius munus meum non mediocre tibi
ſignum extiterit, atque ijs te laudibus à me
nunc publice celebratum fuiſſe, quas tibi pri-
uatim tunc tribui, In quo magnitudo amo-
ris erga te mei abs te perſpecta fuerit: An
humanißime Simo aliter ſentire debebas,
quàm vt in mente mea inſideret præſtantißi-
ma virtus tua? Nam quanquam inter nos
colloqui litteris intermiſimus ea nimirum ra-
tione, quòd tu valde occupatus eſſes, nec ego
etiam abundarem otio, & quod caput eſt,
nullum mihi intercederet tecum negotium,
quod hoc frequens ſcribendi officium deſide-
raret, haud tamen eximiæ doctrinæ tuæ, hu-
manitatis, ac morum ſuauitatis vnquam obli-
tus fui:* Et *cum tu omnibus ornamentis redun
dares, amicitiam quam tecum* Rauennæ *vnà
cum fuimus, iunxeram, omnibus teſtatam eſ-
ſe volui, quòd ex coniunctione noſtra ma-
gnus ad me honos perueniret.* Itaque *cum tu
iam quæ egregiæ virtuti tuæ debentur, ian-
diuq; propria ſunt, ea abs te reijcere atque in
me conferre ſtudeas, neminiq; poſtponendũ*

me cenſeas, qui dicendi copia præſtet; vide ne dum manſuetudinem, ſingularemq́; modeſtiam tuam exercere vis, aſſentationis famam ſubeas; quam ſi pertimeſcere nolueris, te abundantia quadam amoris non merito meo vllo impulſum tot me laudibus ornaſſe fatebris, ſicut facturum te ſtimulante conſcientia ſumma tua integritas mihi ſpondet. Præterea cum mihi gratias agis in extremis litteris tuis, quòd beneuolentiæ erga te meæ nõ obſcurum tibi indicium oſtenderim, ego contra de tuo ſummo in me ſtudio maximã tibi gratiã habeo, ac pro eo me tibi debere profiteor, quòd, vt interdũ inanes meas litteras cõmode legas, grauiſsima ſtudia tua intermittere non graueris. Quod reliquum eſt, te rogo atq; obſecro, vt te à me tanti fieri perſuadeas, quãtum me à te amari cupio; atq; vt ſaltem ab obliuione ac ſilentio veterem iam amicitiam noſtram vindicemus, mecum vnà operam dare cogites. Erit enim hoc mihi quàm gratiſsimum, ac tibi fortè non ingratum. Vale docliſſime Simo. Ferrariæ xv. Kalen. Aprilis.
CIↃ IↃ LXXX.

HERCVLI CIOFANO.
Romam.

EGO Hercules optime ac doctiſsime *anno ſacro Romam veni hoc tempore, vbi uſq; ad Kal. Maias commorari mihi licuit, &* quo-

quotidiana ferè cum præſtantiſſimo Mureto conſuetudo mihi fuit, atque adeo ſuauis ac dulcis, vt cùm Domum redire vellem, ægrè admodum ab eo diuulſus fuerim, non tamen contigit mihi, vt tunc te viderim, aut aliquid de te intellexerim. Nã aut in vrbe non eras, aut paulò poſt ad eam te contuliſti; Sed cum annum abhinc ſextum te magnũ inquis deſiderium tenuiſſe mè de facie noſcendi, quod ab eximio Mureto noſtro multa de me prædicari audieris; quæ tuum erga me amorem prouocauerint; An tù eum cum in facultate atque copia dicendi facile principem eſſe rectè ſentias, ego uero præterea omni virtutum genere ac morum ſuauitate, propenſaq́ quadam in eos animi voluntate, quos ſibi beneuolentia ſua fouendos ſuſceperit, omnibus antecellere iudicem, illi tam facile credere debuiſti; qui non eloquentiam ſolum, ſed incredibilem etiam humanitatem atque comitatem ſuam exercuerit, cum de me diceret? At poſtquam neuter noſtrum ſe in conſpectum dedit, aliter enim, opinor, res cecidiſſet, æquo animo fero te oratione excellentis illius uiri ſuauiſſima delinitum errare, ac putare me virum bonum eſſe, & maximam eidem habeo gratiam, qui teſtimonio ſuo amicitiam inter nos conglutinare voluerit; Quam cum tu prior colere cæperis miſſo ad me lectiſſimo munere, quod ais fore tuæ erga me beneuolentiæ argumentum, &

 ſcriptis

ſcriptis ad me elegantiſsimis litteris, quæ nõ mediocrem tuam dicendi vim præſeferunt, gaudeo quidem mirum in modum à te tali viro, qualem mihi tua ſcripta deſcribunt atq; depingunt, me laceßiri; Doleo vero mihi nõ ſuppetere facultatem ad te remunerandum quam ſimillimo munere: Nam quanquam volumen litterarum mearum nuper editum ad te miſſurus ſum, cum primum mihi commodum erit, nimia enim mercede tabellarijs illud committeretur, Tu tamen, mihi crede, permutatione diomedea æs pro auro accipies. Tua autem lucubratione quid eruditius, quid limatius excogitari poteſt, quæ me ita oble-ctauit, vt in deſiderio ſim aliorum ſcriptorum tuorum? Et profectò vt ad me Venetijs perferantur, breui curabo. Itaque cum cæteris in rebus tibi cedam; te enim magna optimarum artium ſcientia præditum eſſe animaduerto, in amore non dubito quin tibi reſpondeam, vel etiam te uincam; quod vt ita fore credas, dies ipſa te admonebit. Vale Cioſane eruditiſsime, & in ſententia perge. Ferrariæ. xiiij. Kal. Aprilis. CIↃ IↃ LXXX.

FRANCISCO ALCIATO Cardinali.

CVM *diuturnum mihi ſilentium fuerit, vt nihil ad te litterarum nouem abhinc menſes dederim Ampliſsime Patrone, non arbi-*

trere tamen amplitudinis tuæ mentionem à me interim intermiſſam fuiſſe, ac tuæ excellentiſſimæ virtutis apud me ſemper non viguiſſe memoriam. Nam cum Dei opt. & immortalis benignitate, atque Iacobi Sacrati Epiſcopi Carpentoracti fratris mei opera cõſecutus ſim, vt tua me beneuolentia fueris complexus, non ne inertiæ atque ignauiæ merito inſimularer, ſi cum me tecum diuina voluntas congregarit, ac ſors mea optima coniunxerit, me abs te negligentia mea diuelli atque ſegregari paterer? Sed mihi crede, minime ocioſus fui toto hoc tempore, & occupationum mearum optimus tibi teſtis erit epiſtolarum mearum nuper in vulgus emiſſarum liber ille à me nunc ad te miſſus, quem ſi inter tuos pulcherrimos libros numerare nõ grauatus fueris, præſertim cum eum nominis tui ſplendore illuſtraueris, hoc in me præclarum ſtudium tuum adeo mihi gratum atque iucundum erit, vt re ipſa cognoſcas me tuæ incredibili humanitati perpetuò addictum fore; Nunc vero cum optimum illud inſtitutum quod cæpi, tenere debeam, vt noſtrarum rerum te faciam participem, munus hoc Epiſcopi fratris mei nomine meoq́; Tiberius Põpeius obibit, hasq́; tibi litteras reddet, quæ cũ tibi futuræ ſint incredibilis meæ erga te obſeruantiæ argumento, tibiq́; ſignificaturæ ſint nullo vnquam tempore, quoad viuam, tuarũ præſtantiſſimarum virtutum memoriam ex

mente mea elabi poſſe, ac uenerationem nominis tui ſemper mihi ante oculos obuerſari, quanti à me ſias, quantiq; apud me grauiſsima tua ſit auctoritas certè perſpicies Tu quoque *ſi fratris mei dignitatem tibi tuendam ac defendendam ſuſceperis, ſicut hactenus pro tua benignitate feciſti, meq; tuæ amplitudini tantopere deditum à te in numero tuorũ intimorum haberi oſtenderis, utrunque noſtrũ tibi eſſe cordi non dubitabo.* Vale *ampliſsime* Patrone. Quem Deus *clementiſsimus diu ſeruet incolumem, tuasq; omnes actiones fortunet.* Ferrariæ.

POMPEIO ROCCHIO
i. c. Carpentoractum.

CVM *tanti ſit uirtus, ut ea qui præditi ſunt, etiam abſentes nedum præſentes illos mirifice colamus, non miraberis* Pompei *doctiſſime te nunc à me peramanter ſalutari;* Nam *cùm ex multis audiui de tuis eximijs uirtutibus, quæ te celebrem atque illuſtrem faciũt, tùm maxime ex* Antiſtite *iſtic* Iacobo *fratre meo: cuius iuditio tantum tribuo, ut quos ille diligit charosq; habet, eos amare atque admirari debeam.* Is *autem cùm de te mirabiliter ſentiat ac ualde prædicet, tãta te uidendi cupiditate ardere cœpi, ut niſi nunc id his tibi literis ſignificaſſem, uix tui deſiderium me ferre poſſe putarem.* Cum *igitur maxi-*

ma te non iuris ciuilis atque pontificij ſolum, ſed optimarum etiam artium ſcientia excellere intelligam, morum autem ſuauitate atq; humanitate præſtare, ut omnium uoluntates allicias; & apud cunctos nedum apud Dominicum Grimaldum præfectum iſtic prudentiſsimum, ac domi militiæq; longe ſtrenuum virum, quo cum de republica coniuncta eſt cura, valde gratioſus ſis, meum quoq; propenſum iam erga te animum, mihi crede, magnopere tibi conciliaſti; Cum uero accedat ſtudium illud tuum ſummũ, quo me ornari abs te certior fio, vt grauiora ſtudia tua, in quibus aſsidue verſaris, totusq; occupatus es, interdum intermittas, quò inanes litteras meas à me nuper editas legere poſsis, ſcito hanc tui in me amoris ſignificationem in mentem meam adeo irrepſiſſe, vt illius obliuio me nunquam captura ſit; atque quòd meæ partes ſunt Pompei optime, vt non modo mutuam tibi uoluntatem tribuam, ſed te mirum etiam in modum obſeruem atque ſuſpiciam, te poſt hac hominis tibi deditiſſimi officium minime deſideraturum eſſe. Nam ſi mihi nec opinanti cauſam dedit Antiſtes iſtic frater meus amicitiam tecum iungendi, non ne omnibus ego eam officijs excolere debebo, vt tuum erga me amorem augeam? Immo ipſi gratias immortales agam, qui mihi autor fuerit, vt excellenti bono tuo me delectari ſperem. Tu quoque ſi

tibi

tibi gratum eſſe oſtenderis, quòd te ad coniun gendam mecum neceſſitudinẽ inuitauerim, tanta lætitia afficiar, vt quod à te tali ac tanto viro gratiam inierim, felicem me ac beatũ appellem. Vale Pompei dulciſſime, quẽ Deus opt. max. pro ſua benignitate perpetuo fortunet. Ferrariæ. Idibus Aprilis.

GEORGIO CARRETTO
i. c. Mantuam.

CVM ego nunc Georgi præſtantiſſime ex fratre meo Iacobo ſacrato Epiſcopo Carpentoracti, & antea ex multis qui te de facie norant Bononiæ, etiam cum adoleſcens ſtudijs operam nauares, de ſingulari tuo ingenio atque excellenti virtute cognouerim, poſtea vero quam in amplo dignitatis gradu locatus es, vt Sereniſſ. iſtic Duci à conſilio ſis, fama præclarorum factorum tuorum ad nos peruenerit, & quotidie percrebeſcat, gauiſus ſum vehementer magnam tecum ipſi fratri meo amicitiam intercedere, qui eius colendæ officijs atque augendæ me ſocium habere velit; Nam cum has ille quas nunc mitto, litteras, ad te dederit, mihi quoque mandauit, vt volumen vnum litterarum mearum, quas nuper diuulgaui, quò tibi redderetur, curarem diligenter, tibiq; me ſuo nomine munus hoc obire ſignificarem: Addidit præterea ſe à me expetere, vt in tuenda atque conſeruanda

coniunctione veſtra partes ſuas impleam, quòd abs te propius abſim: cuius voluntati cum obſequi ſemper ſtudeam, ſtatim breui hac epiſtola librum proſequi volui, ex qua intelliges, cum tanto in te amore inflammari ceperim, vt te magnopere colam atque obſeruem, fratri me primum eſſe gratulaturum, quòd ſumma ille cum egregio atque eximio viro neceſsitudine coniunctus ſit, deinde gratias acturum maximas, quòd ad conciliandã mihi gratiam tuam aditum patefecerit: De*nique cum tibi virtute longe inferior ſim, ſtudio certè atque voluntate parem fore, ac fortè ſuperiorem.* Nam *cum in magno lucro ponam, ſi me in tuam familiaritatem inſinuare mihi licuerit, me quoque talem præſtare conabor, vt nullam te iacturam facturum eſſe putes, ſi me iam tibi magnopere deditum a fratre prouocatus valde dilexeris.* R*ecipe igitur me libenter in fidem & clientelam tuam; efficiam. n. profectò, vt tuæ erga me humanitatis nunquam pœniteat.* V*ale* G*eorgi eximie.* F*erraria. iiij. id.* A*prilis.* CIↃ IↃ LXXX.

GVLIELMO SIRLETO Cardinali.

NOLI *Mirari ampliſsime* P*atrone, quòd iandiu ſiluerim, non. n. amplitudinis tuæ obliuione hoc accidit, cum imago tua, quam*

quotidie

quotidie intueor, iucundas Clariſſimi Sirleti mei mihi ſemper excitet recordationes, nec ulla negligentia mea, cum laborem illum omnem, quo hactenus perfunctus ſum, vt tuã mihi gratiam aucuparer, inanem eſſe nolim; ſed nullum mihi argumentum ſuppeditabat ſcriptione dignum, quod iucunditate ſua ad legendum te inuitare poſſet: & meus mihi pudor ſuadebat, ne te grauiſſimas atque altiſſimas res aſſidue meditantem prorſus interpellarem. Quid ergo, inquies, te nunc ad ſcribendum impulit? Suſpitio primum nonnulla, ne ob hanc diuturnam taciturnitatem meam ex animo mei memoriam deleas, quod me maxime angeret atque ſollicitum haberet: officium deinde, quod prætermittere non debeo, vt indicia & ſigna quæ tibi Tiberius Pompeius ſummæ meæ erga te obſeruantiæ ac venerationis dedit, comprobem teſtimonio meo; Demum non mediocre deſiderium quo teneor, vt librum epiſtolarum, quem nuper edidi à me miſſum ad te, in numero ſelectorum librorum tuorum reponas, cum eum tuo nomine celeberrimo atque illuſtriſſimo ob multas ad te ſcriptas litteras decoraueris; Quod à te non vulgare ſtudium impetrare cupio, ſi me tibi gratum atque acceptum eſſe perſuadere mihi volueris. His ego cauſis adductus breui hac epiſtola te ſalutaui, animũq; meum erga te propenſiſſimum, quoad eius fieri potuit, declaraui. Tu vero ſi Tiberio

Pom-

Pompeio mandaueris, vt tibi placitum fuiſſe hoc ſalutationis genere tuum in me amorem à me prouocari, & meam lucubrationem tibi non ingratam extitiſſe me admoneat; Vigiliarum mearum me fructum vel maximum tuliſſe arbitrabor. Vale ampliſſime Patrone, quem Deus opt. max perpetuo fortunet. Ferrariæ. viij. Kal. Maij.
CIↃ IↃ LXXX.

CAROLO DE SANTO SIXTO. s. p. d. Bononiam.

LITTERAE *tuæ vij. Kal. Martij datæ quas ego xvi. Kal. Aprilis accepi, gratiſſimæ mihi fuerunt, tùm quòd elegantiſſimæ ac ſuauiſſimæ erant, tum quòd incredibilem erga me amorem præſeferebant: In quibus cum tantopere laudas lucubrationẽ meã, ac mihi uim, acumen, atque leporem in dicendo tribuis, agnoui hæc omnia in Epiſtola tua Carole nobiliſſime atq; doctiſſime: Quid enim ea elegantius, quid vberius legi poteſt, quæ me ita delectat, vt illam è manibus dimittere nequeam; Carminibus vero tuis quid dulcius, quid uenuſtius deſiderari? Itaque cum adhuc adoleſcens in hoc dulci ac ſoluto orationis genere valde praſtes, & poetica etiam laude excellas, quis à diuino ingenio tuo maiora expectare non debeat, ac te meritò admirari, cum ſummam nobilitatẽ*

tuam

tuam mirabiliter auges, & omni virtutum genere ornas? Equidem excellens tua virtus ad te diligendum ita me allicit, vt iam tui ſtudio ardeam. Quod ſcribis recordationẽ meorum in te ſtudiorum te ad ſcribendum impuliſſe, ac litteras quas ad Epiſcopum fratrem meum dediſti, mẽdaciunculis aſpergis, cum ais, te a me liberaliter ac honorifice tractatum fuiſſe, quando ego ne minima quidem in re mihi ſatisfeci, nedum vt debita eximÿs tuis virtutibus officia præſtiterim, falleris profecto Carole, ſed ſingularis tua humanitas, morum ſuauitas, ac manſuetudo te adduxit vt magni ea æſtimes, quæ pro nihilo ducere debebas. Quæ magna animi tui bona, & egregia ac præclara indoles tua cum per ſeſe ſplẽdeant, nec meas laudes deſiderent, me certe prouocant, vt gaudio exultẽ, quòd amicitiam cum nobiliſſimo florentiſſimoq; adoloſcente iunxerim, quæ ingraueſcenti ætati meæ maximo ſit futura ſolatio & ornamento. Et quã quam longo inter nos interuallo abfuturi ſumus, tamen cũ mihi præſto ſis futurus, vt polliceris & operam nauaturus, quotieſcunq; occaſio ſe obtulerit, ego vt promiſſum cito abs te exigam hoc nunc peto quod impetrare cupio, vt nomen meum in animum tuum irrepere ſinas; Nam ſi poſtea ex eo effluxero, vt me omni honore, ac præſertim eo quòd tecum ſim in gratia, indigniſſimum iudices licet, cuius mei incredibilis deſiderÿ hoc tibi ſignũ

extabit,

extabit, quòd volumẽ litterarum mearum ad te miſi, quas ſi in manibus ſæpe habebis, vt inquis te factùrum, quin me memoria teneas, non ambigam. Vale Carole optime. Ferr. XII Kal. Aprilis CIↃ IↃ LXXX.

PETRO VIANO PRECENTORI Carpentoracten. Bononiam.

ADVENTVS *Gulliermi ad me magnæ mihi fuit voluptati, ex quo de optimo tuo & Caroli de Sancto Sixto Clariſſimi adoleſcentis ſtatu cognoui. Et quanquam ille veſtras mihi litteras non attulit, mirum hoc tamẽ mihi non fuit, improuiſò.n. & præter opinionem huc iter cepiſſe dixit. litteræ poſtea tuæ ſuauiſſimæ, vnà cũ earum exemplo, quas ad fratrem meum Epiſcopum miſiſti, redditæ tandem mihi fuerunt, quæ tanta me lætitia affecerunt, vt eam oratione explicare nõ poſſim; non.n. ſolum elegantes mihi viſæ ſunt, ſed ſumma etiam humanitate ac beneuolentia refertæ; Nam oſtendis incredibilis meæ erga te voluntatis ſignificationem valde tibi iucundam extitiſſe. In quo certè ſuauiſſimũ ingenium tuũ recognoui. At res duæ te fallũt Petre, altera quidem, quòd quæ tuæ egregiæ virtuti debita ſolui, ea tu beneficia appellas, & de illis mihi gratias agis, cum ego partes meas non impleuerim; Nam meũ erat, vt nobiliſſimos viros decebat, magnifice ſplẽdideq;*

dideq; conuiuium ornare ; Et *nihilominus veſtra incredibilis manſuetudo, comitas, lepor, affabilitasq; ſermonis me alliciebat vt vobis eſſem familiaris, ac dignitatis veſtræ rationem aliquando non haberem,* Altera *vero, quòd plurimis mendacijs fratrem meum onerasti, cum ei narraſti, quòmodo te Carolumq; hoſpitio acceperim; falſa multa ueris affingens. Qui cum ex litteris meis te res ipſas auxiſſe & amplificaſſe perſpexerit, quid eum dicturum putas: niſi nimia amoris abundantia à te laudibus me ad cœlum elatum fuiſſe?* V*erum, vt miſſa hæc faciam, ſi contigerit unquam vt denuo vnà ſimus, ſcito me daturum operam, quicquid ad fratrem ſcripſiſti, aliqua ex parte factis ut comprobem.* Libri *meum tibi gratum eſſe vehementer lætor, ſed quód eũ tantopere laudes, tuæ erga me non mediocri beneuolentiæ, quæ te verũ dijudicare non ſinit, totũ aſcribo.* V*ale* Petre *humaniſſime* à Ferrari*æ Kal. xi.* Aprilis. CIↃ IↃ LXXX.

CLAVDIO CHANIIELLO
Medico Carpentoracten.

QVAM *gratæ mihi fuerint Claudi litteræ tuæ quæ curauit* Io. Fauanatus *Iuuenis probitate, doctrina, morumq; ſuauitate præditus, vt ad me perferrentur, refertæ illæ quidẽ ſumma eruditione ac mirabili copia dicendi, non vulgaris vero erga me beneuolentiæ*

tuæ,

tuæ, & amoris plenæ, verbis explicare non queo, mirum certè in modum me delectarūt; Nam cum inquis te viſendæ atque luſtrandæ Italiæ ſtudio incenſum eſſe, poſtquam litteras meas legere cœpiſti, quò mecum eſſe me cumq; colloqui, atque ad Heroas *doctiſſimos adire me adiutore tibi liceret,* Vtinam *mihi contingeret vt te viderem; non enim dubito quin res aliter caderet.* Nā *epiſtola tua aperte mihi indicat maiorem me ex conſuetudine tua fructum eſſe capturum, quàm tu ex mea perciperes:* Et *ego animaduerto te non ſolum medicina præſtare, ſed in omni etiam bonarum artiū genere verſatum eſſe, quippe qui græcas litteras & latinas perfecte calleas, & artes omnes optime noris, vt eæ laudes, quas mihi tribuis eloquentiæ, doctrinæ, leporis, iuſtius tibi debeantur.* Ac *profecto ſi te laudare uellem, ſicut excellentes virtutes tuæ poſtulare mihi uidentur, longius quidem mea proueheretur oratio; ſed cum iſtic admodum eluceant, quòd illas magis obſcurarem dicendo quàm illuſtrarem, ſuperuacaneum munus hoc eſſe putaui.* De *tua potius nō mediocri in me fratremq; meum iſtic* Antiſtitem *ſtudij ſignificatione dicam.* Quód *ſcribis te ſperare de me, vt ad illas dignitates vocer, quas* Iacobus Sadoletus *Cardinalis* A*uunculus meus,* Et Paullus *conſobrinus ſumma ſua virtute adepti ſunt, & prophetæ perſonam ſuſtinere cupis; non ne vides* Clau

di

di te nimio ſtudio adduci, vt ea mihi augureris, quæ in cogitationem vix cadere poſſunt, quæq; ab ingenio meo valde aliena ſunt? Nã ſi quis me ab hoc ſtatu dimouere vellet, in quo ego annos natus ſexaginta ſex, ſine vllo onere quod animum meum ſollicitum habere poſſit, iandudum conquieſco, eum mihi profeſtò inuidere arbitrarer; cur enim ego qui honorifico in patria ſacerdotio præditus omni nunc moleſta cura vacuus ſum, felicem me eſſe non ducam? Quare cum opinaris me ampliſſimis honoribus auctum iri, hoc tuo eximio in me amori acceptum refero. Quòd vero in curanda infirmitate fratris mei te tam diligentem præſtitiſti, ac fidelem ei operam egregiamq; nauaſti, gratias tibi ago immortales, gratulorq; vtriq; veſtrum, quòd iuuante potiſſimum benigniſſimo atq; clementiſſimo Deo *& frater meus ab ægritudine valde periculoſa liberatus fuerit, qua eum vehementer affligi audiueram, & quòd tu ex præclaro facto tuo laudem ſummæ induſtriæ ac doctrinæ conſecutus fueris; pro quo certè cum frater meus tibi tantum debeat, quantum res ipſa requirit, me quoque deuinctum eſſe tibi perſuadeas velim; atque, ſi vnquam in* Italiam *ad nos veneris, omnia à me prompta tibi fore, quæ iucunda tibi eſſe putabo, nec mihi defuturam voluntatem tibi declarandi, quàm grata mihi fuerint tua magna in fratrem officia, & quantum me abs te diligi cupiam.*

piam. Interea Deum rogare non deſinam, vt is hoc ad nos iter tibi in animum immittat, quò meã iam incredibilem erga te beneuolẽtiam, ac ſummum de tua præſtanti virtute iudicium perſpicere poſsis. Vale. Ferrariæ. no. Maÿ. CIↃ IↃ LXXX.

IOANNI GVLIELMO Carpentoractum.

TARDIVS *ad te ſcripſi Ioannes optime atq; eruditiſsime, quòd à tot ac tantis mihi facta fuerit lucubrationis meæ gratulatio, vti partes meas eſſe iudicauerim, vt eis reſpõderem, teq; ad extremũ reſeruarem, probitate atq; humanitate tua fretus. Nã ab omni me occupatione in ſalutationibus mihi gratis expedire volui, quo tandem tecum familiariter atq; animo quieto colloqui poſsem. Sed quòd ais te de me à multis præclariſsimis viris audiſſe illa quæ te ad me diligendum inuitabant, teq; optaſſe per litteras me de tuo propenſo in me animo certiorem facere, bellis vero & armorum ſtrepitu ab hac mente auocatum fuiſſe, vt officium hoc prætermiſeris, lætor te iſta erga me voluntate fuiſſe, doleo autem rumores illos mihi obſtitiſſe, ne tuas litteras maturius acceperim, quæ adeo elegantes atq; diſertæ mihi viſæ ſunt, vt Antiſtiti meo gratulari debeam, qui virum hac liberali doctrina politiſsimum apud ſe habeat, & optimarum*

marum artium ſcientia præſtantem; Eæ.n.ita me oblectarunt, vt nihil legerim libentius. Vnum hoc mihi moleſtum fuit, quòd laudes quibus me ornandum ſuſcepiſti, nullis terminis circunſcribis, ſed de volumine illo litterarum à me edito tot ac tanta faris, vt ſi epiſtolam tuam legiſſet frater meus, non vereor ne non te coarguiſſet, quàm nimis aperte mihi illuderes; Nam quo maiori argumento mihi perſuaderi poteſt, vt in hanc de te opinionem veniam, quàm cum te optare ac ſperare inquis, vt dimiſſo Cicerone litteræ meæ legãtur? An non quiuis, ad cuius manus epiſtola hæc tua peruenerit, te mihi adulari cenſebit? verum hæc ego equi boniq; conſulo, atq; ab optimo animo profecta eſſe intelligo; cũq; iſtic Antiſtiti abhinc trienniũ, vt inquis, familiaris factus ſis, te illius cauſa ſuos obſeruare ac magnifacere velle oſtẽdis. At ſi ad nos vnquam te cõtuleris, vt magno te de facie me noſcendi deſiderio ardere ſcribis, de hac te, opinor, ſententia dimouebo. Illud quidem ex tuo aduentu in hanc regionem noſtram ſolatium reportabis, quòd propter egregiã doctrinam tuam te a me plurimi fieri, ac propter morum & ingenii tui ſuauitatem, vt ex lectione litterarum tuarum perſpexiſſe mihi videor, vehementer amari cognoſces, teq; adeo gratum mihi fore, atque ijs omnibus quibus me autore notus eris, vt te itineris confecti, ac ſuſcepti laboris nunquam pœniteat. Vale. At

laborem

quam pæniteat. Vale. Ac laborem illum magnum & vtilem, quem Io. Pauanatus Iuuenis ſuauiſsimus mea cauſa ſuſtinet, pro quo ei multum debeo, etiam tu pro eo quanti me facis, leuare non deſine. Ferrar. vij. id Maij. CIↃ IↃ LXXX.

ERCOLIANO MONITIO Præpoſito, Parmam.

EGO Ercoliane *docliſsime atq; humaniſsime nunquam fore putaſſem, vt tu ex illius libri, quem nuper edidi, tanta lætitia affectus fuiſſes, tantaq; voluptate, quantam verbis te haud exprimere poſſe fateris, præſertim cum ille tanti non ſit, vt maius ſtudium in me tuum non extiterit, quo me ornaſti dũ eum legeres. Ac ſanè qui epiſtolam hãc tuã diſertiſsimam grauiſsimisq; ſententijs refertam legunt (pleriſq; autem illius legendæ poteſtatem feci) omnes mecum ſentiunt te natura tua adductum impulſumq; non iudicium, ſed beneuolentiam adhibuiſſe. Nam cũ in hoc ſcriptorũ genere ita verſeris vt excellas, ſicut ex doctiſsimis litteris tuis acute conijcere licet, ſi ſemota illa tua amoris erga me tui ſignificatione rem perpendere voluiſſes, non me tantis, opinor, laudibus extuliſſes: Itaq; in hoc Simonis Caſſolæ viri præſtantiſſimi, omniq; laude cumulati, ac mihi amiciſſimi taciturnitatem, deſideraui, cum enim*

volumen litterarum mearum, vt ei reddere tur curaſſem, quòd celebre illius nomen ipſas illuſtraret, in publicandis nugis meis eum tã facilem eſſe non oportuit; ſed is vt eſt humaniſsimus meiq; amantiſsimus, ſe mihi gratificaturum exiſtimauit, ſi muneris illius exigui, quo ipſum affeceram, participes amicos ſuos faceret, nec meminit omnes natura rebus nouis ſtudere; quantam. n. cupiditatem hominibus iniiciat nouitas, non te fugit, ac tu indicas, cum videndi illius libri, ſtatim vt à Simone mentio de eo facta eſt, miro te ſtudio incenſum eſſe ſcribis; ex quo ipſius facto vnum duntaxat fructum capio vel maximũ, quòd coniungendæ mihi tecum amicitiæ, ac voluntatum noſtrarum conglutinandarũ autor ſit. Quæ res quanquam mihi quoq; præter expectationem euenit, vt eruditiſsimi viri beneuolentiam facile ac nullo negotio mihi cõciliem, me tamen mirum in modum delectat, mihiq; valde iucunda eſt. Cæterum tuam te feſelliſſe opinionem in quam diſceſſeras, cũ primum ad litteras meas lectionem adhibere cæpiſti, me diuinare credo, ſed ne ſummum te rei inanis deſiderium tenuiſſe appareat, ea laudas, quæ ſi liberum tibi eſſet iudicium, forte non probares, & cum iis ſentires, qui ſi epiſtolas meas reprehendere auderent, illos indiciij expertes fore inquis: In quo egregia tua virtus atque conſtantia vel maxime enitet, cũ te non poſſe æquo animo ferre, vt eo lit

terarum

terarũ volumine diutius careas, & donec il lud hinc ad te perferatur, te non ſine animi moleſtia expectaturũ eſſe ais; Ego uerò qui ut abs te grati ſineã, tibi credere malo quàm mihi, librũ ad te miſi, vt cupiditatem tuã explere ac ſatiare poſsis, & mihi fauere pergas, quemadmodum te facturum eſſe demõſtras; quem perueniſſe ad manus tuas ex te cognoſcere auide expecto, & ſi coniectura mea de te bona non eſt, gratum tibi fore ſperare debeo. Quòd mihi gratularis de ea ſi qua eſt gloria, quam ex diuulgata lucubratione mea me conſecutum eſſe aſſeueras, humanitatem quidem tuam ac propenſam in me voluntatẽ agnoſco; ſed vere tibi affirmare poſſum Erculiane optime me nihil aliud ſpectaſſe, cum eam emiſi, niſi vt monumentum hoc vitæ aliquãdo a me actæ quaſi hæreditatem quandã poſteris meis relinquerem. Quid vero in extremis litteris tuis te in hanc mentem impulerit, vt te tam humilem ac demiſſum præſtes, vt etiam excuſes audaciam, quòd latine neſciens ad me litteras dederis, hoc tamẽ munere abs te eloquentiſsime obito, niſi nimia modeſtia tua atq; animi moderatio (nam vt elegantiæ epiſtolarum mearum tribuas, ſicuti facis, putare ridiculum eſt) cogitatione aſſequi non queo; Verum quicquid in animo habueris, cum planè ignorem (diuinum. n. hoc eſt) illud certè exploratum te habere volo propter probitatem atque inte-

gritatem tuam te a me vehementer amari, & propter eximiam doctrinam magnifieri, me quoque abs te diligi, uehementer mihi eſſe gratum atque optatum. Quod reliquum eſt, Simoni noſtro gratias meo nomine ages immortales qui nobis inſtituendæ inter nos amicitiæ ſuaſor fuerit; atque ſaluere eũ meis verbis iubebis. Vale Ercoliane humaniſſime Ferrariæ idibus Martij. CIↃ IↃ LXXX.

HERCVLI CIOFANO. Romam.

Iam opinor omnibus conſtare, quantum præſtantiſſimo ac præclariſſimo Mureto debeam; Sed ad innumerabilia eius in me merita magna nunc acceſſio facta eſt, cum te Ciofane tam ſuauem atq; Vrbanum ipſe mihi cõciliauit amicum; Nam quanto lepore; quantaq; ſuauitate affluas, ex epiſtola tua perſpici poteſt, in qua inquis te ab vrbe anno ſacro abfuiſſe eo tempore quo iſtic fui, quòd infirmiſſima valetudine fueris, nec tamen præcipuam hanc vnam extitiſſe cauſam, quód nihil tunc de te audierim, ſed ingenij tui tenuitatem. Quid ò Ciofane ſuauiſſime? tot huius tui ingenij tenuis, vt appellas, monumenta quæ ad me miſiſti, non ne te inſignem atq; illuſtrem faciunt? an me tui deſiderio non incendunt? cur non credas potius excellen-

tiſsimo Mureto *in mẽtẽ tui non veniſſe, quòd aduentus iſtuc meus multa attulerit, quæ & longum, & crebrum inter nos ſermonem deſiderauerint, quæq; illius animum a te parũper auerterint?* Nam etiam, *vt tute ſcis, abſentia hoc ferre ſolet, vt ij quos mirifice diligimus, carosq; habemus, niſi ante oculos nobis verſentur, è memoria quandoque elabantur.* Quare *cum ſors tulerit, vt iſtic non affueris, non mediocre certè in eo accepi detrimentum, quòd tuo iucundiſsimo optatiſsimoq; aſpectu carui.* Verum *vt hæc quæ moleſta ſunt, miſſa faciam.* Illud *non tacebo, ſi epiſtolam tuam cum* Mureto *communicaſſes, eum non toleraturum fuiſſe, vt tuas partes eſſe diceres, quòd tu prior, vt pote inferior, ſuperiorem ſalutares, cum præſertim nulla mecum ratione ſis conferendus; iniuriam enim vtrique noſtrum facis:* Nam *tum ego alteris litteris me tibi cedere fuerim profeſſus, quòd te in omni artium genere nedum in iure ciuili verſatum excellere cognouerim, in amore vero à me ſuperatum iri, quid nunc tibi ſuadet, vt te tã demittas, nec comparare velis* C*iofane? niſi forte abijcere te ipſe vis, vt alij te extollant. Sed ego longam nimis epiſtolam texerem, ſi te ijs afficerem laudibus, quæ tibi debentur, quæq; à te fortaſſe non expectantur.* I*taq; ſi amicitiam inter nos veram atq; conſtantẽ eſſe cupis, fac mecum; vt vna vtriuſque ſit voluntas, & ſi me amas, ne aſſen-*

tationi ſuſpitionem cuiquam des caue. Ego *coniunctioni noſtræ, quibuſcunq; officijs poſtero, quod mihi quoq; de te polliceor, me ſatisfacturum tibi ſpondeo.* Librũ *a te ſumma cupiditate expectari gaudeo, quem in manibus te propediem habiturum eſſe ſpero.* Vale, *& ſummo illi* Mureto*, quo cum vt ſim in gratia, omnia molior, plurimam meo nomine ſalutem imperti.* Ferrar. *xv.* Kal. Iunij. CIↃ IↃ LXXX.

GEORGIO CARRETTO I. C. Mantuam.

LITTERAE *tuæ Georgi vir clariſſi me nuper mihi redditæ, mira me affecerunt lætitia, diſertiſſime enim atque grauiſſime ſcriptæ ſunt; & præclariſſima ingenij tui monumenta quæ ad me miſiſti, cumulum mihi gaudij attulerunt.* Nec eſt *quòd tarditatem tuam excuſes, quam muneris grauitate compenſaſti;* Nam *quotieſcunque perpendo, quãtum ex dilatione tua lucri fecerim, diutius expectaſſe me non piget, nedum negligentiæ te accuſem, quòd ſero tuas acceperim.* Quòd *autem ſcribis te tanta ex litteris fratris mei* Epiſcopi *ac meis, nec non ex libro quem ad te miſi, voluptate perfuſum eſſe, vt tui ipſius oblitus eſſes, quid nam mihi contigiſſe putas, cum tuæ mihi improuisò cum eximio ac pulcherrimo dono tuo allatæ fuerunt, præſertim*

tum nugas pro rebus valde ſeriis tecum permutauerim? Equidem cum mihi nihil vnquam tam præter opinionem meam euenerit, quàm intelligere in aſtrologia etiam & arte poetica quàm excellas; non enim hoc vnquã de te præſtantiſſimo Iuriſconſulto ſenſiſſem, mirus, mihi crede, me ſtupor oppreſſit conſiderantem tanta in te eſſe virtutis ornamenta, vt non opinionem ſolum de te meam longe ſuperaueris, ſed incredibilem etiam meã erga te obſeruantiam mirabiliter prouocaueris. Itaque gaudio ita exultaui, quod à te ſingulari viro gratiam inierim, ut nihil ad ſummam felicitatem mihi deeſſe arbitrer: quam quidem ne effundam negligentia & ignauia mea, omnibus viribus enixeq; conabor: Nec vero committam ego Georgi humaniſſime, cum frater meus, qui tibi ad Auũculi mei Iacobi Sadoleti Cardinalis familiaritatem iam pridem aditum aperuerat, ac tu poſt illius obitum amicitiam inter uos longis temporis interuallis interruptam, officijs non colueritis, vt potè quos diuerſa omnino negotia ab hac cogitatione facile auocarunt, vt neceſſitudo illa, quam ſpero fore mihi tecum coniunctiſſimam, diſſuatur, atque diuturnum ſilentium conſequatur; crebra enim mea per litteras tecum collocutio amicitiam noſtram profectò confirmabit, poſtquam frater ipſe nunc in memoriam rediens quam iucundus ſibi tecum vſus fuerit atque ſuauiſ-

ſima conſuetudo, ad renouandam coniunctionem veſtram me ſibi ſocium aſcripſit, teq; ſtrenuum, ac nauum iudicauit, vt etiam ſi à binis te oppugnari perſpexeris; ita forti atq; conſtanti animo ſis, vt dimicationem tibi defugiendam non exiſtimes; cum quo certè libenter ſocietatem coiui, & quòd talium virorum, qualis es tu, ingenio, & induſtria mirifice delecter, & quòd maximos ex Georgio illo excellentiſſimis virtutibus prædito me fructus capturum eſſe confido, quem & ſi de facie nunc non noſco, aliquando Deo propitio eum viſurus, admiror tamen atq; ſuſpicio, eiusq; nomen iam in mente mea inſculptum habeo. Interea tibi perſuade ſcripta tua grauitatis ac prudentiæ plena quotidie in manibus meis verſatum iri, quæ ſi me admonuerint, vt te ſæpe ſalutem, dubitandum tibi non erit, quin maximarum occupationum tuarũ, ac ſtudiorum grauiſſimorum rationem ducã. Tibi meas litteras gratas eſſe, quòd Sadoleti ſtylum redolere tibi videãtur, lætor quidem, ſed id ſingulari tuæ humanitati acceptum à me referri debere nemo non cenſet. Vale. Ferrar. prid. id. Iunij. CIↃ IↃ XXX.

HERCVLI CIOFANO.
Romam.

COGNOVI ex litteris tuis librum ad manus tuas perueniſſe, ac lectum & perlectũ

fuiſſe

fuiſſe à te Ciofane, quod valde mihi iucundum fuit, ſed gratius atque iucundius ſtudiũ erga me tuum extitit, cum tanti temporis iacturam facere, ac ſtudia tua intermittere uoluiſti, vt mihi gratum faceres. De quo agere tibi gratias meæ partes eſſent, mihi tuæ non fuerunt, ſed iam amicitia noſtra hanc actionem gratiarum minime deſiderat, nec tantã tuæ erga me beneuolentiæ ſignificationẽ: me enim à te mirifice diligi iam ſentio, ſicut te à me vehementer amari & plurimi fieri perſpicere, opinor, potes. Vnum hoc à te obtinere cupio, cum ſummo illi Mureto noſtro familiaris ita ſis, vt priuatim etiam multis te præclaris rebus, ſicuti ſcribis, inſtituerit atque imbuerit, in quo me tibi Ciofane multum inuidere fateor, ne libenter ei te credulum præbeas, cum ille me viris qui nunc florent, doctiſſimis annumerat; Iudicium enim non facit, ſed magno erga me amore inflammatus ſuaues confert de me tecum ſermones, quos mendaciunculis aſpergit, vt me apud te in gratia ponat. Itaque in hac re vna ab eo diſſideas uelim, ſi me audies, de cæteris cum illo mirifice congruas; Quanquam vt libere dicam quod ſentio, cum uerbum ex ore Mureti præſtantiſſimi viri nullum niſi elegantiſſmum atque prudentiſſimum exire ſoleat, hoc nunc excidiſſe nunquam putabo, excogitaſſe vero te, quo propenſum magis animum erga me tuum declares. Sed hæc hactenus. Cum ſulmonem profici

ſci tibi ſit in animo, & de reditu ad vrbem incertum ſit, cura iſtic vt ad te fideliter litteræ perferantur; Interdum enim quoad hoc moleſtiſsimo tempore, hisq́; maximis caloribus negotia ferent, te ſalutabo. Vale *&* Muretum *noſtrum eximium, quem ego toto pectore colo atque obſeruo, quoties eum vides, toties à me ſaluta.* Ferr. *xvij.* Kal. *Quintil.* CIↃ IↃ LXXX.

RENATO CATO I. C. S. P. D.

EGO *antea primum* Renate *præſtantiſsime te magnopere diligebam, faciebamq́; plurimi, & quòd eximio ingenio ac doctrina te præditum eſſe non neſciebam, & quòd ex eo patre ortum, qui temporibus ſuis ob excellentiſsimas ipſius virtutes apud* Principem *auctoritate cum valeret, me quoque ſuis multis ac magnis in me officijs & ſtudijs ſibi deuinxit.* Ad *amorem deinde erga te meum & obſeruantiam quotidie accedebat, quòd cum ad* Imperatorem Principesq́; *germanos à* Sereniſsimo Principe *noſtro legatus ſæpe miſſus fueris, intelligebam te in obeunda legatione tua, ſummæ integritatis, induſtriæ, ac morum ſuauitatis tale ſpecimen dediſſe, ut ab* Imperatore *gratiã inieris, & principum cæterorum beneuolentiam apprime tibi conciliaueris: quamobrẽ* Principi *poſtea no*

ſtro

ſtro ita gratus fueris, vt te conſiliarium non ſine maxima tua laude ſibi legerit. Denique *tui amore nuper captus fui atq; incenſus* Renate *humaniſſime, cum ſemel ad te adij, vt tibi de non obſcuro erga me ſtudio tuo gratias agerem, quod in afferendo tecum in* Ger*maniam libro illo quem edideram, mihi ſignificaras;* Nam *quæ amoris in me tui ſigna non dediſti, quæ tuæ ſummæ bonitatis ac benignitatis indicia non oſtendiſti, vt operam etiam mihi tuam pollicerere ac deferres?* Et *iterum cum te conueni, vt de rebus noſtris, quæ in controuerſiam vocantur, te admonerē quoquomodo eæ ſeſe haberent, quàm mihi patientiſſimas atq; æquiſſimas aures præbuiſti, quàm ſuaues mecum ſermones grauitate, ſale, atque vrbanitate conditos habuiſti, ut dũ eorũ ſuauitate alliciebar, modeſtiæ fines propè tranſierim, quòd non poſſem abs te diuelli atque diſtrahi, & niſi alij multi qui ad te confluebant, me interpellaſſent, mei facile oblitus fuiſſem.* Itaque *lætor quidem mirum in modum me in tuam familiaritatē veniſſe, comitatem enim tuam, affabilitatemq; ac leporem mirificum guſtare cœpi, doleo uero inertia atque ignauia mea accidiſſe, vt tanto bono tandiu caruerim, licet ſingularem tuam humanitatem fuerim expertus, cū obuiam interdum vt tibi prodirem caſus tulit.* Quod *cum mihi diuinitus contigerit, vt in clientelam me tuam contulerim, ſi te*

ſæpius poſthac inuiſero, ſi temporis quo tua iucundiſſima conſuetudine carui, vſuram ſarcire ſtatuero, his te litteris certiorem faciendum eſſe duxi, ne me impudentem cenſeas, ſed ſuauiſſimo tuo aſpectu fruendi cupidum. Præterea ſi te ita obtudero, vt grauiſſimarum occupationum tuarum rationem habere non videar, & manſuetudini ac facilitati tuæ totum aſcribas velim, quæ omnium in te amorẽ nedum meum prouocat, & virtuti, quam vt potè admirabilem laudare mitto, cum mihi orationis facultas non ſit; & illa ita eluceat, vt laudatoribus non egeat. Hoc *certè tibi affirmare uolo, qui te magis colat obſeruetq́; quam ego, me concedere nemini, quod ſpero fore vt re ipſa perſpicias.* Tu *quoque ſi me beneuolentia tua fouere, vt cæpiſti, in animũ induxeris, quamuis à te viro excelſo atque magnifico quid non expectem? tanto me beneficio afficies, vt perpetuò tibi addictus futurus ſim.* V*ale* R*enate dulciſſime, quem præpotens* D*eus ſemper fortunet.* Ex *ædibus noſtris xi* K*alend.* Q*uintil.* CIↃ IↃ LXXX.

M. ANTONIO MVRETO I. C. viro præſtantiſsimo.

IANDIV *expecto litteras tuas* M*urete præclariſſime, nec accipio;* E*t cum ampliſſimi illi viri, quos domeſticarum rerum mearum*

rum feci participes, ad me ſuaues litteras dederint, miror te ſolum ita tardum ac negligẽtem eſſe, vt cũ ter quaterq; ad te ſcripſerim, curauerimq; vt meæ tibi redderentur, ad eas reſpõdere nolis; Nam te poſſe certo ſcio, quòd non ignoras quam breuiſsimas litteras tuas etiam vernacula lingua exaratas, mihi iucundiſsimas fore; Nec diuinare queo, quid in hanc te mentem impulerit, vt ſilentio tam diuturno vti volueris. Quòd ſi te valde occupatum excuſes, an ocioſum eſſe me putas, qui quotidie moleſtijs atque angoribus conficior, à quibus me nihil iam abducere poteſt niſi mira duntaxat Mureti excellentiſsimi humanitas atque vrbanitas? Ciofanus quidem noſter mihi ſignificauit te de me recte ſentire, atque in tuorum me numero amiciſsimorũ habere, quod certè mihi gratum magnopere fuit; ſed uellem epiſtolam licet puſillam manu tua ſcriptam ad me perferri, quam ſæpe oſculari poſſem, vt ſoleo, & ex cuius lectione aliquid ſolatij caperem, ſi mei memoriam ex animo tuo non diſceſsiſſe mihi perſuadere cuperes: Quod cum mihi deneges, vereor ne conſtantiam, atque in tuenda amicitia perſeuerantiam tuam non retineas. Quòd ſi mihi conſcius eſſem aliquid à me commiſſum eſſe, quod voluntatem à me tuam abalienare potuiſſet, quamlibet penam libenter ſuſtinerem atq; ſubirem, vt tecũ in gratiam redirẽ; Quò vero in hac cogitatione & cura magis uerſor

vt

vt odorer & inueſtigem, in quo te offenderim, eò minus reperio, quod me torqueat: Hoc *autem occurrit animo te nouis neceſsitudinibus munire te velle, & eorum qui tibi adſunt, atque ante oculos verſantur, in te beneuolentiam tueri; veteres autem amicitias paulātim tibi diſſuendas, & eorum qui ab oculis tuis abſunt, memoriam voluntaria obliuione delendam arbitrari, eorum præſertim, qui luce hac diutius frui, ſpiritumq; ducere non queunt:* Quàm *enim ſuſpitionem aliam afferre poteſt taciturnitas tua, quàm vt amorem illum erga me tuum penitus, vt opinabar, inſitum ex mente tua eijcere tibi ſit propoſitum?* Niſi *forte differre & procraſtinare vis, vt volumen conficias atque perficias, quod ad me nec opinantem perferatur, in quo te mihi purges; hoc enim vnum reſtat quod in cogitationem cadere poſsit:* Nam *te infirma eſſe valetudine (quod clementiſsimus* Deus *pro incredibili benignitate ſua omnino auertat) ſuſpicari mihi non libet: à* Ciofano *enim & cæteris amicis noſtris de hoc certior factus fuiſſem.* Verum *eſto, vt imparatum me aggredi moliare, te tamen interea hac me leuare moleſtia quamuis paruo chirographo tuo, & mihi timorem hunc ac dolorem eripere decet, ſi eam euelli ex animis multorum opinionem vis, quæ de tua mei obliuione ſuſcepta eſt;* Fac *igitur vt tuas litteras amplius non deſiderem; nulla enim maior abs te conſola-*

tio mihi adhiberi poteſt. Vale Murete humaniſſime ætatis noſtræ decus. Ciofanoq́; noſtro eruditiſſimo multam ſalutem dic. Ferrariæ, iij. Kal. Quintil. CIↃ IↃ LXXX.

M. ANTONIVS MVRETVS I. C. S. D. Paullo Sacrato ſuo.

AT *ita tu me, dum uiuam, merito ames, Sacrate optime, vt ego ſtatim accepto annuo illo munuſculo tuo litteras ad te ſcripſi, quibus ſignificarem, quàm mihi, vt tua omnia, gratum atque acceptum fuiſſet. Neque tamen recordari nunc queo cui litteras dederim, niſi id quidem liquet mihi deierare, à me ſcriptas fuiſſe.* Ex *illo tot me occupationes impeditum deuinctumq́; tenuere, etiamq́; nunc tenent, vt interdum vitæ me ipſius tedium capiat; eò magis quòd amicis multa poſtulantibus, ne ſi dirumpar quidem, ſatisfacere omnibus poſſum;* Et *vt cuiuſque petitioni deſum is ſe à me negligi putat, mecumq́; expoſtulat, quod parum ſibi in amore reſpondeam.* Ego *vero interdum ita obruor multitudine eorum quæ à me poſtulantur, vt quo potiſſimum vertere me debeam, ſatis conſtituere nõ poſſim. Quare, ſi me amas, vt certè amas, neq; .n. exemplum tuum ſequi volo, vt de tua erga me uolũtate dubitare fas putem; Sed ſi me amas, aut potius quia me amas, ignoſce interdum occupationibus meis, & quãdo bonũ nomen*

men eſſe me ſcis, ὑπεράμερον interdum eſſe me patere. Mittam breui quæ pollicitus ſum in iure ciuili, iam enim deſcripta ſunt, neq; quicquam aliud ſupereſt, quam vt à me demum percurrantur, ſi quid fortè peccatum eſt ab eo qui illa deſcripſit. Habebis & librum epiſtolarum mearum, & alia quædam. quandoquidem libet tibi in nugis meis bonas horas conſumere. Vale. vij. idus Iulij. C IↃ IↃ LXXX. *Rom.*

AVGVSTINO MARANIO ſuo. Ferrariam.

C V M *eſſem in ſuburbano meo, quo venire tibi non libuit Auguſtine cariſſime, ac deambulatum irem, ecce ab Antonio Burſeto ſodali tuo, quem ego iuuenem propter ſummam eius probitatem, ac ſuauitatem vnice diligo, redditæ mihi fuerunt litteræ tuæ alia manu inſcriptæ, vt eas non noſcerem; Ex quibus egregiam in te ac præclaram indolem eſſe cognoui; ac te adhuc adoleſcentem animaduerti magnam mihi afferre ſpem eloquētiæ, quod non mediocrem mihi delectationem lætitiamq; attulit. Itaque cum tibi ita conſtet, ac perſpicuum ſit, vt admonitione mea non egeas, eam te orationis facultatem conſequi ſine vſu & exercitatione non poſſe, altera enim & altera epiſtola non te diſertum reddet; hortari tamen nunc te uolui, ut in hăc*

cogi-

cogitationem quotidie incumbas, atque à Cicerone ſtylum dicendi effectorem & magiſtrum appellari recorderis: Ergo aſsidue ſcribas oportet, & ingeniũ tuum iam ad dicendũ ſatis acutum ſtudio & arte adiuues, præſertim cum domeſticum etiam habeas exemplum ad imitãdum. Quod ſi hoc tibi faciendũ in animum induxeris, quin breui eloquentia valeas, dubitandum tibi non erit. At hæc corãm, & alia multa. Venio ad epiſtolam tuã, In qua cum gratularis mihi multorum exemplo adductus, quòd res ex ſententia mihi ſucceſſerit, & hoc præter opinionem tuam non euenisse ais, vt lucubratio mea omnibus ferè grata ſit; te quidem non falſum de re ipſa iudicium feciſſe & quaſi diuinaſſe perſpicere mihi uideor; Totũ uero Deo opt. max. acceptũ refero, qui hanc mihi mentem dederit, ut librum meum ex improuiſo ederem; nam opinionem hanc me nõ habuiſſe antea illum diuulgandi non ignoras. Celebrari autem me à te nõ oportuit, nec laudibus ornari; cum enim tu ſis in meis intimis ac familiaribus, atque loco filij per ætatem eſſe poſsis, vix aſſentandi ſuſpitionem fugere potes: Te tamẽ erga me optime affectum eſſe, meiq́; obſeruantiſsimũ valde mihi gratum eſt. Quod ſi hac quoque voluntate deinceps fueris, quemadmodũ par eſt, vt me ſeneſcentem, & iam affecta ætate nullo unquam tempore deſeras, quòad ſumma Dei benignitate hac frui luce mihi licuerit, quan-

quanquam te ingrati animi crimen horrere ſcio, pro certo habere debes, me nec conſilio nec opera, nec ope tibi unquam defuturum, vt omnibus virtutibus, quoad eius fieri poterit, ornatus euadas, atque aliquem ſaltem dignitatis gradum adipiſcare; Tu modo litterarum ſtudia exercere non deſine; non enim ætatis magis idoneum tempus reperire potes, quod ſi amiſeris, recuperare tibi non erit integrum. Quod reliquum eſt; Iacobum Philippum Thamonium noſtrum iuuenem florentiſsimum atque integritate, eruditione, modeſtiſsimiſq; moribus præditum, quē ego amo plurimum atque magnifacio, meo nomine conuenies, & huc inuitabis, qui ſi annuerit, & ego ero admonitus, vt is in Cyſio ad me vehatur, diligenter curabo. Interim eum ſaluere iube. Vale Auguſtine dulciſsime. Et Hieronymum Bouium optimum atq. doctiſſimum virum, mihiq; amiciſsimum meis uerbis ſaluta. Ex ſuburbano meo. Calēdis Quintil. CIↃ IↃ LXXX.

AVGVSTINO VALERIO Epiſcopo Veronæ.

SERO *tibi gratulor Antiſtes optime atque humaniſsime de tuo ex Dalmatia reditu Veronā, quòd te iſtuc veniſſe tarde audiui, nec mihi ante venit in mentem ex Franciſco Gandino meo quærere, an quid de te no*

*ui haberet, quòd ego tantis curis atque nego-
tijs impeditus ſum, atque diſtentus, vt animũ
illæ meum ab hac cogitatione auerterint, qui-
bus nulla ſpes eſt me cito vacuum fore. Quò
fit vt non dubitem, quin in functione mune-
ris mei negligentior tibi viſus fuerim, quã
meus ſummus erga te amor atque obſeruan-
tia incredibilis poſtulabat. Sed tamen hoc
me primum conſolatur, quod tibi nõ ignotus
ſum: nec in ſuſpicionem tibi obliuionis innu
merabilium tuorum in me ſtudiorum venire
debeo; Deinde quòd memoria teneo ante
tuum iſtinc diſceſſum me tibi fuiſſe pollicitũ
nulla in re moleſtiam à me tibi exhibitũ iri,
quoad domum te reuertiſſe cognouiſſem; ni-
hil enim antiquius & carius accidere mihi
poterat, quàm vt meus in te animus quàm il-
luſtris eſſet, aperte perſpiceres. Nunc vehe-
menter gaudeo te iſtic ſaluum eſſe, cupioq;
ex te intelligere, qua ſis erga me uoluntate,
& me tibi promiſſa ſeruaſſe, quàm gratum
tibi fuerit. Illud quidem exploratum habe-
re debes, vt fidem tibi præſtarem, multis me
incommodis atq; difficultatibus affectum fuiſ
ſe, nec me pœnitere, dum apud te ſim in gra-
tia, quam ut colligerem, & collectam conſerua
rem, nihil prætermiſi; Tu uero ſi mei cõmodi
rationem duxeris, tempus n. maturum eſſe ui
detur, ac mihi cõſulueris, vt negotia mea ex-
plicare & expedire valeã, quod ſine tua ope
effici non poteſt, non magna ſolum me mole-*

ſtia

ſtia liberabis, ſed ſummum etiam mihi beneficium tribues. De uolumine illo litterarum, quod, dum tu iſtic abeſſes, attulit iſtuc Gandinus meus, aueo ſcire quid actum ſit, an tu illud in manibus habueris; librũ quidem tibi iucundũ fore ſperare debeo, quẽ tui nominis ſplendore valde illuſtrem reddidiſti. Sed ſi de eo quale tuum ſit Iudicium, mihi ſignificaueris, eximium ac ſingulare tuum erga me ſtudiũ profecto extabit. Vale Antiſtes optime. Ferr. iij. No. Quintil. CIϽ IϽ LXXX.

CAROLO SIGONIO
Doctiſsimo viro. Bononiam.

IANDIV *ſum Carole doctiſſime magno in deſiderio neceſſitudinis tecum conſtituendæ, præclara enim fama ingenij tui me inuitat, & ſcripta tua, quæ legi fere omnia, atque ex interuallo reguſtare non deſino, me tui ſtudio incendunt; ſed ſæpe cogitaui quæ ratio mihi ineunda eſſet, vt de hac mea propenſa in te voluntate certior à me fieres, nec reperire viam, quæ mihi ad amicitiam tuã aditum patefaceret, unquam potui; de me enim penitus ignorabas, nec quicquam audiebas, quod ſuadere tibi poſſet, vt tu me in eorum, qui tuæ excellentiſſimæ virtuti valde dediti ſunt, numerum aſcriberes; Ego autem in dies magis ſummam doctrinam tuam ac liberalium artium ſcientiam admirabar, &*

ex

ex lectione librorum tuorum in ijs ſtudijs, in quibus maxima cū laude & apud omnes exiſtimatione verſaris, intelligebam meo quidē iudicio comparandum eſſe tecum neminem. Quare accedebat, vt ego maiore tui uiſendi cupiditate afficerer, ac me in familiaritatem tuā inſinuandi. Quod ſpero iam Carole me conſecuturum, cum oblatam mihi à Ioanne Baptiſta Ponzino viro optimo ac noſtri amātiſſimo occaſionē eſſe animaduertā, qui me admonuit ſe mearum epiſtolarum nuper editarū volumen curaſſe ad te perferēdū, abs teq; reſponſum tuliſſe illas tibi non diſplicuiſſe, carasq; fuiſſe. Quo nuncio quid ſuauius, quid deniq; mihi honorificentius eſſe potuit, quàm Sigonio uiro doctiſſimo nugas meas probari? Equidem cum tantum in me ſtudiū contuleris, vt lectionem frigidarum litterarum ſuauiſſmis ſtudijs tuis aliquantum præpoſueris, quod ego optare vix auſus fuiſſem, dubitare ne mihi licet, quin ego etiam poſt hac totus tuus futurus ſim, & eſſe debeam? In quo certè Ponzino ipſi me multum debere agnoſcò qui tibi auctor fuerit, vt tantopere mihi faueres; ad me autē pertinere perſpicio tuum hoc factum ita memoriæ mandari, vt illud nulla vnquā poſſit obſcurare obliuio. Quod, mihi crede, officium eximijs tuis virtutibus debitum à me nunquam deſiderabis; Quin immortalis à me pro hac tuæ in me beneuolentiæ ſignificatione gratia tibi ſemper habebitur.

bebitur. Itaque cùm hoc animo ſim in te egregio, eum tibi his ad te literis notum eſſe uolui, quæ ſi tibi gratæ fuerint (quanquam qui aliter de te ſentire queo, qui te ſummam rerum cognitionem ac doctrinam cum ſingulari humanitate ac morum ſuauitate coniunxiſſe audio?) non vereor ne non gratiam abs te ineam, tuumq; erga me amorem conciliem, præſertim cum eandem patriam ex parte tecũ ſortitus fuerim, ſororis n. Iacobi olim Cardinalis Sadoleti filius fui; Sed tuæ bonitatis erit Carole confirmare literis tuam erga me voluntatem; Nam meæ cupiditati ſi morẽ geſſeris, non ſolum meam me de te opinionem non fefelliſſe gaudebo, ſed expectationẽ etiã te meam viciſſe prædicabo, Vale Carole præſtantiſſime. Ferrariæ. prid. no. Quintil. CIƆ IƆ LXXX.

CAROLVS SIGONIVS Paullo Sacrato. s. p. d. Ferrariam.

Si nullos alios fructus ex diuturnis laboribus meis, quos in tractandis optimarum artium ſtudijs poſui, percepiſſem, hunc certè vel vberrimum ac liberaliſſimum iudicarem quòd ij nomen meum ad multorum notitiam pertulerunt, atq; complurium mihi gratiam amoremq; conciliarunt, quos paribus deuinctos literis eadem propè virtutis ardere cu-

pidi-

piditate cognoui. Inter quos ſi ego te Paulle principem referam, haud equidem ſanè mentiar; tu .n. litteris ad me humaniſſime atq; elegantiſſime ſcriptis, quid de meis lucubrationibus, id eſt, quid de tota ingenij atq; induſtriæ meæ ratione iudicares, aperuiſti, ac ſimul etiam ex earum lectione miro te iungendæ mecum amicitiæ ſtudio teneri ſignificaſti, quorum vtrum magis æſtimem, haud facile dixerim: Probari .n. ſcripta mea viro inſigni eruditione ornato illud adeo magnum duco, vt me putem omnia conſecutum, cum eiuſmodi iudicia ſum adeptus; amicitiã vero meam ab homine nobiliſſimo atque humaniſſimo eo nomine appeti, hoc uero tanti facio, vt id etiam ad felicitatem meam aliquã referendum exiſtimẽ. Quamobrem quòd beneuolentiam tuam mihi vltro impertis, id ita libens accipio, vt parem atque adeo etiam propenſiorem tibi reddam uoluntatẽ, pro ſummo beneficio accepturus, ſi me in numerũ intimorum familiarium tuorum aſcripſeris, ac poſt hac opera mea ita vteris, vt veteris amici, ac multis magniſq; in rebus iam pridem ac ſæpe probati; non fallam opinionem tuam. Nam quòd vereri videris, ne tu mihi ſatis notus ſis, libero te iſta cura. Cognoui n. te iã inde à pueritia mea, cum domus Sadoletorũ apud nos præcipuæ dignitate gloriaq; floreret, quòd Iacobus Sadoletus Auunculus tuus vir immortalitate digniſſimus viueret, qui

non

non ſolum familiam, ſed etiam patriam ſuã, ac totam Italiam ſingulari doctrinæ, eloquentiæ, ac virtutis ſuæ ſplendore cum paucißimis illuſtraret. Quin etiam vt huius tu viri domeſticam æmulatus induſtriam elegantißime in ijs quas proxime edidiſti, epiſtolis ingenium expreßiſti, neq;. n. ijs quicquam fingi poteſt ad omnem eloquentiæ laudem præſtantius; ſic ego quoq; eiuſdem exemplum iã tum cum ætate florerem, longe inferiore ratione ſecutus, ad hæc potißimum ſtudia complectenda me contuli, neq; poſt vnquam iucundam illius memoriam animo menteq́; mea depoſui. Habeo. n. ornatißima ſcripta eius, quibus aßidue relegendis præclaram illã animi, atq; ingenij indolem recognoſco. Habeo pictam eius imaginem, quam miram oris illius grauitatem dignitatemq́; egregie referentem quotidie cubiculum meum ingrediens nõ ſine præcipua virtutis ipſius veneratione ſaluto. Quamborẽ vt ad prima redeam, gratũ mihi feciſti, quód me litteris tuis ad amicitiam tuam, quæ mihi expetenda imprimis erat, tã humaniter inuitaſti, ſed multo gratius feceris, ſi me meaq́; omnia tibi commodisq́; tuis patere ac prompta imprimis eſſe perſuadebis. Vale. Bononiæ. xv. Kal. Auguſti. CIↃ IↃ LXXX.

PAVL-

ANTONIO MONTECATINO
Doctori eximio.

SÆPE *in animum induxi litteris tibi declarare quanti te faciam, & iandudum fecerim tum propter ſummum ingenium tuum eximiamq; doctrinam, tum propter humanitatem illam ſingularem, quam in edendo meo litterarum libro mihi tribuiſti; Excellens enim virtus tua hanc mihi mentem crebro iniecit; Sed multa me retardarunt Montecatine præſtantiſſime, primum quòd non ea mihi tecum intercedebat amicitia, nec is vſus, qui mihi ſpem non dubiam afferret officium hoc tibi gratũ fore, licet me à te amari mihi perſuaderem; quoties enim cunque te domi conueni, quod quidem propter frequẽtem abſentiam tuam rarum maxime fuit, me toties comiter ac benigne complexus es; deinde peracre iudicium tuum ita extimeſcebam, vt à ſcribendo refugerem, quòd à me vix quicquam dici poſſet, quod eruditiſſimis auribus tuis dignum eſſe videretur; Demum verebar ne te intempeſtiue obtunderem; Nam cum sereniſſimo Principi noſtro operã egregiam aſſiduamq; des, & ea ratione negotijs multis implicere, tibi nugas legendi otium fore non ſum arbitratus; Quare cogitationem hanc teq; ſalutandi voluntatem abijcere malui (vt ingenue fatear) quam te*

R *impe-*

impeditum impedire; hoc .n. equitas & modeſtia à me poſtulare videbatur, præſertim cũ me non lateat, quod à Principe tẽporis tibi datur, in ſuauiſſimis ſtudijs tuis te conquieſcere. Nunc, *inquies, quæ te cauſa potiſſimum mouit, vt has ad me litteras dares? magna mea, mihi crede, de tua ſumma integritate, prudentia, atque omnium artium ſcientia cognitioneq́; opinio; nec non ſtudium & ardor quidã amoris erga te mei, quẽ ferre nõ queo;* Nã *cum mihi natura dederit, vt uiros doctos & imprimis eruditos ſemper coluerim; ego qui eum te ex illis eſſe iudicaui, qui principẽ locum teneãt; quod meum de te iudiciũ* Sere*niſſimus poſtea noſter* Dux *comprobauit, cũ te ſibi elegit, qui ad intima ſua conſilia peruenias, non iniuria te magnopere obſeruaui, atque in familiaritatem me tuam dare concupiui;* De *quo meo in te animo hac te epiſtola admonendum cenſui, ex qua intelliges me quoque cupere vt voluntates noſtras conglutinemus; & licet negotia tua tot ac tanta me dulciſſima collocutione noſtra & cõſpectu tuo ſæpe priuabunt, tamen cum otioſo tibi eſſe licuerit, amiſſum tempus recuperare conabor.* Tu *quoque ſi in hac fueris ſententia, vt me in tuorum domeſticorum numero reponas, atque oblitus interim auctoritatis ac dignitatis tuæ optatiſſimam mihi conſuetudinem tuã non clauſeris, me non ſolum tibi gratum eſſe credam, ſed congreſſus etiam ac ſermones no-*

ſtros

ſtros tibi non iniucundos fore putabo. Vale Montecatine egregie. Ex ædibus noſtris. *Nonis Quintil.* CIↃ IↃ LXX.

PAVLLO LEONIO
Epiſcopo Ferrariæ.
Patauium.

CVM *te in villam contuliſſes, vt à* Prin*cipe veniam peteres* Patauium *proficiſcẽdi, vbi ampliſsimum* Cardinalem Ateſtinum *ſalutares ac conuenires, teq; iam reuertiſſe nuntiatum mihi fuiſſet, bis terq; ad te adij, vt colloquerer tecum, & aliqua explicarem tibi, quæ te ſcire vellem; ſed ita ſors tulit, vt cũ te nunquam domi offendiſſem, mihi non cõtigerit te ante ſalutare, quàm hinc diſceſſeris; quòd non mediocrem mihi moleſtiam attulit* Antiſtes *humaniſsime:* Nam *ſuſpicari potuiſti eam à me non adhibitam tui videndi diligentiã, quã officiũ meum, ac ſumma mea in te obſeruantia poſtulabat; ſed certè in animo habebam eum me præſtare erga te, quem tui ſtudioſiſsimũ perſpiceres; optabã .n. te abeuntem parumper proſequi, ac profectionem tibi reditumq; augurari felicem; non .n. dubitabam, quin dies multos dulciſsimo aſpectu tuo cariturus eſſem.* Quæ *me ſpes cum fruſtrata ſit, dupliciter angor animo, & quòd partes meas deſeruiſſe videor, & quòd metuo ne aliqua in mẽte tua inſideat opinio te*

à me non plurimi fieri. Quare cum tui præſentis poteſtas mihi non fuerit, nunc abſens litteris te rogo: vt nihil de me ſentire velis, quod ab integritate prudentia, & eximia humanitate tua alienum ſit: Nam oſtendes aut me tibi adhuc cognitum non eſſe, aut meam tibi excuſationem iuſtam non videri. Quod ſi cui tuorum mandaueris, vt ad me perſcribat te nunquam in ſuſpitionem veniſſe mei ſummi erga te amoris, & ſi quam habueris, lecta puſilla hac epiſtola eam te depoſuiſſe, nō ſolum nuncio hoc omnem mihi metum abſtergebis, quando meas tibi gratas fuiſſe ſignificabis, & fortè gratiores, quam ſi coràm tecū mihi fuiſſet ſermo; ſed etiam me ad laudandam vehementer facilitatem atque manſuetudinem tuam reddes alacriorem. Quod reſtat, omnes nos qui tuæ poteſtati ſubiecti ſumus, quos vt filios fouere & complecti non ceſſas, tibi ſubÿcimus atque ſuggerimus, vt de tuo maturo ad nos reditu cogites, ne te capiat dulcis amor patriæ, nam tui deſideriū nos iam tenere tibi prædicimus. Vale Antiſtes optime, cui Deus opt max. reuerſionem fortunet. Pacium Scalam I. C. ſi te is ſalutandi gratia conueniet, multa meo nomine ſalute impertire non grauaberis. Ferrariæ. xv. Kal. Sextil. CIↃ IↃ LXXX.

POM-

POMPEIO ROCCHIO i. c. Romam.

CVM ego lego litteras tuas quas nuper accepi, lego autem ferè quotidie, illis.n.neſcio an quicquam vnquam legerim elegantius, atque ornatius, non poſſum te ſatis admirari Pompei doctiſsime atque humaniſsime cum animaduerto eloquentiam te adeo mirabiliter coniunxiſſe cum iure cæſareo Pontificioq; vt in vtroque mirum in modum excellas, Ac te dudum audiui ex Antiſtite fratre meo, qui de te ſuauiſsime prædicat, tantiq; facit quanti alium neminem, iuriſconſultum eſſe præſtantiſsimum, illicq; Præfecti legatũ; Ex epiſtola vero tua, quæ ſententiarum grauitate & electiſsimorũ propriorumq; verborum copia adeo referta eſt, vt nihil in ea deſiderari queat, te eloquentiſsimum eſſe perſpicio: Nam cum horribilem & repentinũ caſum illum deſcribis, ac multis miſerabilem, adeo acutis & crebris ſententijs illud præſtas, & oratione ita vehementi ac graui; vt multi in lectione litterarum tuarum miſericordia commoti fuerint, & ego lacrimas profuderim; Quis enim non contremiſcat, cum multos repente occiſos, ac præcipue fratrem Dominici Grimaldi præfecti uirum fortem atq; imprimis belli & rei militaris peritum, tot vulneribus acceptis extinctum fuiſſe legit?

Quis vero conſolatione nō afficiatur, cū Dominicum ipſum egregium animo forti & inuiĉto ſtrenue pugnantem audit ferro viā ſibi patefeciſſe ad ſalutem? Pompeium etiam integrum ac doĉtum virum, & artium omnium cognitione præditum, equo priuatum ſummo Dei opt. max. beneficio è tāta cæde atque ſtrage ereptum fuiſſe? Quòd autem Antiſtes frater ante in ciuitatem redierit quàm caſus inciderit diuino afflatus numine, vt dubitare nemini licet, quis donum hoc eximiū atq; pulcherrimū benigniſſimo Deo acceptum nō referat? Itaq; mihi crede, huius faĉti narratione varie ſum affeĉtus; ſed magno poſtea id me gaudio affecit, cum diſerte copioſeq; ſcribis meas litteras non modicam in hoc mærore tuo attuliſſe tibi conſolationem, atque iucundiſſimas extitiſſe; quod nō mediocris meæ erga te obſeruantiæ indices eſſent; maiori vero lætitia ex eo perfuſus ſum, quòd, quæ tua eſt humanitas, te huius meæ in te beneuolentiæ, quæ me ad ſalutandū te peramāter adduxit, In quo primas iure Antiſtiti fratri ſuaſori deferre licet, memorē fore atque in colenda amicitia noſtra parē mihi uoluntatē redditurum polliceris: laudes verò quas mihi tribuis, prorſus mitto, quod tu amore magis quā veritate iudices; eas autē ad te transfundere par eſſet; tibi .n. illę magis debentur; at cū mihi difficile ſit, quanta ſuauitate, vrbanitate, ac lepore affluas, explicare, hac tuarum virtu

tum commemoratione libenter ſuperſedeo, faxit tantum Deus *clementiſsimus, vt in hac animorũ coniunctione perſeuerare, & quæ ſummi amoris vterque fundamenta iecimus, ea & conſeruare & augere poſſimus; ſic.n. tibi perſuadeas velim, qui propter egregia animi tui bona mihi ſint pares in te amãdo, fore paucos;* Et *ſanè quid mihi poterit vnquã ab ipſo* Deo *gratius contingere, quàm ut aliquando meum erga te ſtudium aliqua in re optime & ego tibi declarem, & tu præclare cognoſcas?* Q*uæ mihi occaſio ſi offeretur, de hac tecum à me conſtituta neceſsitudine, quin more ſenum valde glorier, me continere non potero.* V*ale* P*ompei humaniſsime atq; eruditiſsime.* F*errariæ. xiij. Kal. Sextil.* CIↃ IↃ LXXX.

BENEDICTO MANZOLIO Epiſcopo Regij.

MAGNAM *nuper hinc cum eſſes* R*egium diſceſſurus, immo incredibilem ex collocutione noſtra* A*ntiſtes optime atq; humaniſsime voluptatem cepi, tanta enim fuit humanitas tua, tãta comitas affabilitasq; ſermonis non mediocri grauitate venuſtateq; condita, vt eæ me penitus tibi deuinxerint,* S*ed ad ſummam lætitiam meam acceſsit, quod te de me recte ſentire perſpexi.* I*n quo & ſi*

amor erga me tuus ex omnibus partibus ſeſe ita oſtendit, vt iudicio locum non reliquerit, me tamen aliquo eſſe numero talis ac tāti uiri teſtimonio tacitus mihi gauiſus ſum; itaq; mihi venit in mentem cogitare de captanda aliquando iſtuc veniendi occaſione, vt diutius tuo iucundiſſimo conſpectu atque congreſſu fruerer. At cum examinare ac perpendere me quadam quaſi trutina cæpi, audaciam meam fregit ſuſpitio ac timor ille, ne cum tu me ingenio tuo ſingulari, ac ſumma prudentia iſtic præſentem intuitus eſſes atque animo contemplatus, ſententiam mutares, quòd tuæ opinioni minus reſponderem, quàm fortè ſperaſſes; Ego vero imprudens iudicarer atque arrogans, qui admirabile iudicium tuum non pertimuiſſem. Reſtat igitur, vt abſens te interdum ſalutem, tibiq; ſignificem quanti te faciam, & te virum integerrimum atque doctiſſimum quantum ſuſpiciam atq; admirer, quod officium tibi, quoad viuam, debiturus ſum; Sed quid ego laudes tuas præclariſſimaq; facta tua attingere uelim, cum meam pertenuem dicendi facultatē longe ſuperet excelſa tua virtus & animi magnitudo? Quare cætera mittam; hoc te rogabo, vt me iam tibi deditiſſimum in gratia tecum eſſe patiare, atque in tua memoria aſſidue hærere, ſicut mihi benignitas tua ac liberalitas pollicetur; me enim nominis tui cultorem egregium, tuarumq; præſtantiſſimarum

marum virtutum prædicatorem, dum ſpiritũ ducam, perpetuò habebis. Vale dulciſsime Antiſtes, ac Deus opt. max. diu te ſeruet atque fortunet. Ferrariæ. xiiij. Kal. Sextiles. CIↃ IↃ LXXX.

IO. MARIO CRISPO. I. C. S. P. D.

EGO ne *Criſpe eximie, te tam humanũ, ſuauem, affabilemq; eſſe arbitratus fuiſſem? minime quidem; Nam memini me interdũm alicuius negotij mei expediendi cauſa te domi conueniſſe, & vix tamen rem tibi geſtam exponere potui, ſiue quòd multis occupationibus ita diſtinereris, vt fari tibi non liceret, ſiue quòd me adhuc optime non noſſes, quo cum libere, quæ ſentires, eloqui non auderes; Itaq; nudius tertius opinionem meam certe feſelliſti; Quid enim fuit te dulcius, quid vrbanius? Nam oratio tua quæ non ſolum grauis & docta erat, ſed lepore etiam ac ſale condita, ita me cepit atq; incendit, vt me nunc in eo peccaſſe putem, quòd te ſero guſtauerim, & tardius amare cœperim. Sed lætor oblatam mihi te ſæpe adeundi eſſe occaſionem; eam.n. libenter arripiam, quò tecum familiares ſermones conferre poſsim: Nec verebor ne tibi ſim moleſtus, in tuam.n. miram ſuauitatem, ſi hoc acciderit, culpam transferre debebis, qua ego inuitatus atq; impulſus in tuam conſuetudinem*

me inſinuare volui; Quem meum erga te animum perbreuibus his tibi litteris declarare mihi libuit, vt perſpicias me tuæ excellenti virtuti poſt hac deditiſsimum fore. Quod ſi tu quoque mente hac erga me fueris, vt eximia tua humanitate ac beneuolentia me complecti ſtatuas, officijs ita te colam profectò, vt mu tuam te mihi voluntatem tribuiſſe nunquam pœniteat. Vale Criſpe ſuauiſsime. Ex ædibus noſtris. x. Kal. Sextil.

HIERONYMO BOVIO. S. P. D.

NVNQVAM *certè de tua erga me beneuolenta dubitaui Hieronyme optime atque doctiſsime, nec opinor te de mea vllo vnquã tẽpore hæſitaſſe; Nã huius mutui amoris non obſcura alter alteri ſigna dedit. Sæpe.n. multa inter nos cõmunicauimus, tu quidem lucu brationes tuas mihi impertiuiſti, quæ redolebant eximam doctrinã tuam, & candore fulgebant: Ego uero nugarũ mearũ interdum te feci participem: Quo factum eſt, ut ea inter nos conſtituta amicitia fuerit atq; cõiunctio, quam nulla dies, nullumq; tempus dirimere queat, nec obſcurare poſsit obliuio; Sed nunc, mihi crede, ſuperaſti opinionem meam; nam graui plenoq; carmine tuo & mira ſermonis elegantia condito amorem erga me tuum ita demonſtraſti. vt aſſentandi ſuſpitione non ca*

reas

reas, quòd nimijs me laudibus affeciſti, & quæ potius integritati tuæ ſpectatæ multis ac magnis in rebus, & præclaræ eruditioni tuæ iure tribuendæ ſunt. Verum cum tu omniũ ſermone celebreris, inter quos primas facile teneo, ne mea in tam immenſo campo vagetur oratio, illa de te dicere mitto, quæ, ſi te uelim remunerari ſi non pari, at grato tamen munere, meum officium poſtularet vt commemorarem; libenter autem hac narratione ſuperſedeo, quòd eam tibi quoque ingratam fore arbitratus ſum. Tantum mihi gaudeo à te tali ac tanto viro me uehementer amari, cui vt parem voluntatem reddam, non ſolum operam dabo, ſed te officijs etiam vincere conabor. Quod reliquum eſt, quando nos ſtudiorum honeſtiſsimorum ſocietas atque ſimilitudo ita coniunxit, vt maxima mihi tecum familiaritas intercedat, eademq; ſit vtrique noſtrum religio, quæ ad copulandas noſtras voluntates non mediocre vinculum afferat, hoc animo ſimus ambo, vt clementiſsimo Deo propitio, ac reſpondente optatis noſtris aſsidue vnà eſſe ac ſuauiſsima noſtra conſuetudine, quoad priuata ac domeſtica noſtra negotia patientur, frui velimus. Ego quidem ex tuo dulciſsimo aſpectu congreſſuq; eum me fructum ſpero laturum eſſe, qui ſenectutem meam, & ætatem valde ingraueſcentẽ adeo oblectet, vt reliquum hoc vitæ tempus iucunde traducam; te vero ex propenſiſsima mea

in te voluntate non nihil voluptatis eſſe capturum tua ſingularis probitas mihi perſuadet. Vale Hieronyme optime, ac Pelegrinum Ricardum Decanum virum omni virtutis genere ornatum, quem unice diligimus atque obſeruamus, & à quo nos quoque amari ſentimus, meo nomine ſaluere iube, ex Aedibus noſtris. viij. idus Septembris. CIↃ IↃ LXXX.

IO. ANGELO PAPIO. i. c. eloquentiſsimo. s. d.

AVDIERAM *antea ex multis, qui iſtinc ad nos confluunt eximie Papi non modo de tua excellenti doctrina atque in interpretandis legibus ſcientia, quo in officio iſtic tu primarium locum merito obtines; uerum etiam de admirabili eloquentia, qua ius ipſum cæſareum ita tradis atque explicas, vt magna apud auditores tui ſit admiratio; Et ego qui natura ſemper ad colendos viros doctiſsimos diſſertiſsimosq; valde propenſus fui, fama & exiſtimatione commotus te plurimũ amabam, magniq; æſtimabam, quotidieq; occaſionem mihi dari expectabam, qua nomen meum nouum tibi forſitan atque inauditum auribus acciperes. Sed. Fl. Antonius Gyraldus vir optimus, atque in oratoria poeticaq; facultate valde excellens, vtriq; autem noſtrũ amiciſsimus in hac me expectatione diutius*

eſſe

eſſe non fuit; Tot enim ac tanta de tua ſumma humanitate, moribus ſuauiſsimis, virtutis denique & ingenij præſtantia narrauit ac prædicauit, vt me maximo tui amore incenderit & inflammarit, ad ſcribendumq́; impulerit, cui cum reſponderem me vereri, ne frigidæ meæ litteræ tibi moleſtæ acciderẽt, & earum lectio ſtudia ſuauiſsima interpellaret, impediretq́; In me culpa omnem transferas licet, inquit ille, ſi minus ei gratas fuiſſe ſenſeris, quàm ego futuras eſſe polliceor. Itaq; parui egregie Papi, autoritate enim eruditiſsimi viri noſtriq́; amantiſsimi cur non adducerer, vt hoc officio fungerer mihi valde iucundo? Teq́; certiorem facere volui magna me quidem exultare lætitia, quod ſpero veniſſe tempus illud exoptatum, quo ego tecum amicitiam coniungam; te vero à me ita coli atque obſeruari, vt in mente mea infixũ iam ſit elogium illud ab omnibus ferè recitatum, te eſſe Q. Scæuolam alterum iuriſperitorum eloquentiſsimum, eloquentium iuris peritiſsimum: tuam enim ſingularem dicendi copiam elegantiamq́; orationis, atque iuris ciuilis prudentiam cuncti admirantur. Tu quoque ſi in amore mutuo mihi reſpondere ſtatueris, quid gratius iucundiuſq́; mihi vſu venire vnquam poterit? Sin: Gyraldum certè ſponſorem appellabo. At quin poſt hac tibi carus ſim & abs te habear in numero tuorum; illius oratio omnem mihi dubitationem ſuſtulit.

lit. Ego *etiam nullum, mihi crede, officium prætermittam, vt tuum mihi amorem et gratiam conciliem, ac breui mittam ad te volumen vnum epiſtolarum à me editarum, quod quotienſcunque in manus ſumes, noſtri memoriam renouabit, & ego ſuſpicari non potero, vt te* Paulli *Sacrati capiat obliuio.* Vale Papi *eloquẽtiſsime ac doctiſsime.* Ferrar. *vij. id. Septemb.* CIↃ IↃ LXXX.

PACIO SCALÆ I. C. s. p. d. Patauium.

CVM *caſum illum & euentum conſidero atque perpendo, quem paucis ante diebus mihi narraſti* Paci *doctiſsime, dum mecum hic hilariter iucundeq; fuiſti,* Intueor *oculis ac perſpicue cerno eos omnes qui bonitate, integritate,* Innocentiaq; *præcipue muniti ac fulti ſunt, quiq; ſpem in clementiſsimo* Deo *omnem collocant, ab eo non ſolum adiuuari, atque ex omnibus miſerijs eripi, ſed aſsidue etiam protegi atque cuſtodiri.* Qua *in cogitatione quotidie verſanti mihi nunc venit in mentem primum tibi mirum in modum gratulari, quòd cariſsimo tibi capite cum orbatus ſis matre tua lectiſsima fœmina ætate iam confecta, in cuius bonitate atque prudentia conquieſcebas, & in cuius ſinu omnes curas deponebas, vt libere ſtudijs tuis, ac ſubleuandis patrocinio tuo amicis illis omnibus operã*

dares,

dares, quos in clientelam recepiſſes; Tibi tamen benigniſſimus Deus mentem dederit, ut Simonem Scalam nepotem tuum, qui Salaminæ, vulgo Famaguſtæ natus capta à Turcis Cypro in eorum poteſtatem venerat, magno pretio abs te redemptum in matris quodammodo locum ſubſtitueris: Gaudere deinde, quod ille optimæ indolis ac magnæ ſpei adoleſcens euadat, qui magno tibi ſolatio futurus ſit, atque ad abſtergendas omnes moleſtias & obliuione delendas non mediocri adiumento: Quo officio quã libenter functus fuerim, non eſt quod tibi perſuadere coner, te enim apprime diligi à me, ac plurimi fieri non ignoras. Taceam ne vero egregium tuũ factum, & opus optimum, quòd tu nutu certè diuino ad monitus Illum adoleſcentem induſtria tua, diligentia & amicorum ope atq; auxilio ex hoſtiũ manibus & ex vinculis tãdem exemeris? Equidem (vt cætera mittã, non enim de excellentibus tuis virtutibus dicere nunc eſt mihi propoſitum) hoc vnum attingam duntaxat, quòd cum te ſancte ſemper ac ſincere, nec non iuxta legem diuinam, quoad eius fieri potuit, ſemper uixiſſe mihi conſtet (tecum enim iſtic me diu eſſe contigit) ac ſæpe aliquid ex ſacra ſcriptura delibaſſe, licet aduocati Iuriſconſultiq; munus obire non ceſſes, te non latere certo ſcio ab immortali Deo neminem deſeri, eorum, quos ipſe fore ſuos, ac ſuæ voluntati dicto au-

dientes

dictes nouerit, de quo multa exempla ex eadem ſcriptura depromere poſſem, niſi tibi notiſſima eſſent; teq; hac cõſtanti ſententia adductum in ſpem veniſſe fore, vt propitio Deo optimo maximo, ſi ad efficiendum opus iſtud aggreſſus eſſes, nepoti tuo adoleſcenti ſalutẽ impetrares. Quod cum tibi proſpere atque ex ſententia ſucceſſerit, & hoc eximium ac pulcherrimum à Deo benigniſſimo donum agnoſcas, non eſt cur dubitem, quin maximas & perpetuas eidem gratias acturus & habiturus ſis; nec te horter, ut Simonem erudias ad id munus pro tanto beneficio fungendum, ac diuinis præceptis inſtituas & imbuas, cum hæc tu melius quàm ego, acerrimo ingenio tuo perſpicias. Tantum exploratum habeas velim me non minorem ex iſto facto lætitiã voluptatemq; cepiſſe, quã tu perceperis, quod vetus noſtra neceſſitudo, & incredibilis inter nos amor poſtulat; meq; æternum Deum rogare, vt fauſtum hoc tibi ſemper felixq; ſit, nunquam intermiſſurum. Vale Paci humaniſſime. Thomas ſacratus frater te peramanter ſalutat. Ferrariæ. vi. idus Semptembris. CIↃ IↃ LXXX.

IACOBO SACRATO Epiſcopo Carpentoracti fratri ſuo.

Cognoueram ex alteris litteris Io. Pauanati

nati noſtri Antiſtes optime te denuo Carpētoracti præfectum maxima Illuſtriſsimorum virorum cum gratulatione fuiſſe renuntiatū, in eoq; mirificum ſummi Pontificis erga te ſtudium extitiſſe. Qui nuncius magno me quidem gaudio affecerat: Sanctiſsimo enim illi uiro te cordi eſſe perſpicuum erat; ſuſceptæ vero gubernationis maximo te premi onere nō admodū lætabar: Nam hoc turbulentiſsimo tempore vix putabam ex prouincia iſta te laudem conſequi poſſe, Immo vt in non nullorum odium incurreres, & obtrectatorū ſermonibus locum relinqueres facile euenturum eſſe credebam. Nunc ex alteris perſpexi te ab eodem Pontifice maximo iſta cura & ſollicitudine liberatum fuiſſe, ac rurſus Grimaldo viro ſtrenuo atq; eximio delatam fuiſſe regionis iſtius præfecturam; quod certè & tua & mea cauſa longe mihi gratiſsimum fuit; Plebi enim tibi commiſſæ atque creditæ integra mente & opera quotidiana poſt hac inſeruire poteris, quam interdum deſerere te oportuiſſet, ſi quæ præfectura requirit, ea perficere voluiſſes; Nam cū maxime deceat Epiſcopum & acri ſtudio & perpetua vitæ continentia tanquā armis munitum, quoquo tēpore circumſpicere, ne quid indignum committatur, nec facinora capitalia fiant, præſertim quòd ipſi delictorum non modo ſuorum, ſed eorum etiā quæ curæ ipſius concrediti tā viri quàm mulieres perpetrarint, ratio reddenda

denda ſit; cumq; ego animaduertam nihil in vita illius officio laborioſius eſſe, licet apud Deum nihil beatius ſit, ſi ſic militet ac ſe gerat, quemadmodum iubet Deus, quo pacto vtranque perſonam recte ſuſtinere potuiſſes, ſi munus hoc vnum à quoquam vix digne exerceri queat; & à Præceptore noſtro Ieſu Chriſto affirmetur neminem duobus Dominis ſeruire poſſe, qui mentiri non poteſt? Nec ego hæc eò ad te ſcribo, quò te admonere velim de iis quæ tibi notiſſima ſunt, ſus enim mineruam; Sed quòd cum Deus Clementiſſimus tibi propitius ſit, teq; protegat, ſicut nuper ſigna benignitatis erga te ſuæ non obſcura dedit, quando lumen menti tuæ prætulit, vt ante triſtem caſum illum domum redires, pro certo habere debes ab eo ſummum quoque Pontificem diuino ſpiritu afflatum ſententiam mutaſſe, ut te non impediret, cum ſalutis animarum eorum qui tuæ fidei cōmendati ſunt, aſſidue curā gerere tibi neceſſe ſit. Eſt igitur quòd immutata illius ſanctiſſimi ac prudentiſſimi uiri voluntate gaudeas, & gratiam Deo immortali habeas; Nam deinceps tranquilliori eris animo, & quietum ac pacatum ſtatum tenebis, de quo te dimoueri ſi me audies, nunquam patiere, & ſi forte tempus hoc accideret, pro viribus repugnabis atque reſiſtes. Ego vero te ad expediendum negotium illud quod mihi tecum commune eſt, promptiorem atque alacriorem fore lætor.

Quòd

Quod reliquum eſt Deum optimum maximum, quem ſincere, deuote, & humiliter colis ac veneraris, vt me non fugit, rogare atque obſecrare ego quoque in facienda re diuina non deſinam, quoad ſpiritum ducere ipſius Dei benignitate mihi licebit, vt te cuſtodiat, ſaluumq; atque incolumẽ diutiſsime ſeruet, quò vnà per litteras ſuauiſsime colloqui ualeamus abſentes, poſtquam huiuſmodi tempora conſecuta ſunt, vt præſentes ſimul eſſe, nosq; inter nos complecti non poſsimus. Vale Antiſtes frater optime atque humaniſsime, Ac Grimaldum præſtantiſsimum uirũ, eiusq; Legatum Pompeium Rocchium, quos libenter de facie noſſem, meis uerbis plurimum ſaluere Iube. Ferr. iiij. idus Septemb.
CIↃ IↃ LXXX.

LAVS DEO.

IN ADVENTV HENRICI REGIS GALLIÆ ET POLONIÆ.

Ad Eccleſiam Cathedralem.

SALVE Inuictiſſime & clemẽtiſſime Rex Henrice. Quis ob iùcundiſſimum tuum aduentum non ſumma lętitia efferatur ac gaudio exiliat? Vtinam Deus Opt. Max. eam nunc nobis orationis facultatẽ ac dicendi copiam largiretur, vt exprimere tibi poſſemus, quàm tota hæc ciuitas exultet ob tam mirificũ in eam ſtudium tuum; certè intelligeres, cum abs te tali ac tanto honore affecta fuerit, deuinctam illam maieſtati tuę pro hac ſingulari humanitate, perpetuoque addictam fore. In quo quidem immortales gratias agit optimo Duci ſuo ALPHONSO, qui tibi au-

ctor

ctor fuerit eam diuino tuo cõſpe-
ctu decorandi. Sed, quãuis eloquẽ
tia non valeamus, vultu tamen ac
geſtu & plauſu maximo & penè in
credibili, nec nõ omnium gentiũ
ac nationum ad hanc ciuitatẽ cõ-
curſu ſignificare tibi conamur,
quam libẽter te cõtẽplemur. Nõ
.n. intuemur Regem ſolo nomine
Chriſtianũ, ſed reipſa & factis ve
re religioſum. Itaq; ita elucet pie
tas ac sãctitas tua, vt meritò te om
nes eximio ac ſingulari quodam
honoris genere afficiendum pu-
tent. An putas tot Duces ac Prin-
cipes, quot hic adeſſe videmus, ea
ratione te proſequi proficiſcentẽ,
quod regalem habeas poteſtatẽ?
Non profectò, ſed quòd ad hoc re
gale nomen, quo dignus exiſtima
tus es, integritas, iuſtitia, clemen-
tia, animiq; fortitudo ac reliquæ
virtutes oẽs accedãt, quæ in te pre
ſtantiſſimæ ſunt, vereq; Regẽ ef-
ficiunt. Quò fit, vt nemo non te
admiretur magnopere, neq; eadẽ
qua cęteri mortales ſorte ac con-
ditione natum, ſed è cœlo demiſ-
ſum eſſe arbitretur. Quæ cũ DEI
optimi

GREGORIO XIII. PONTIFICI SVMMO,

Gratiarum actio.

BEATISSIME Pater. Quãtũ Iacobus Sacratus Epiſcopus Carpẽtoracti frater meus & ego Sanctitati Tuæ debeamus, totaq; familia noſtra addicta tibi ſit ob ſummum tuũ in fratrem beneficium, neminem arbitror eloquentia ita præſtare, ne dum me qui parũ ingenio poſſum, vt hoc explicare queat; Tanta enim extitit beneficentia tua, & in eum liberalitas, vt nulla par ei reperiri poſſit oratio; quę eò maior etiam tunc omnibus apparuit, quòd nec opinantem maxima dignitate affeciſti. Itaq; egregiũ hoc tuum factum deinceps mecum tacitus cõſiderans Pater Sancte immenſam Sanctitati Tuæ gratiam ſemper habui, atque a Deo Opt. Max. & priuatim & publice quoque ſacrum frequenter celebrando,

do, aſſidue precatus ſum, vt te qui
dem qui omnibus ſuffragijs ſine
mora & ſtatim Vicarius Chriſti,
& ſummus ſanctæ Sedis preſes re
nũtiatus fuiſſes, (quod maximũ
excellentiſſimæ tuæ virtutis indi
ciũ fuit) cunctis Cardinalibus ad
ſummã conſenſionẽ in te eligen-
do diuino ſpiritu adductis, ſaluũ
diu atque incolumem ſeruaret Ec
cleſię ſuæ ſanctę; mihi vero pro in
finita bonitate ſua benignitateq;
concederet, vt ad hoc vſq; tẽpus
peruenirem, quo limina Apoſtolo
rum viſere, ac eius qui non nomi-
ne ſolum, ſed re ipſa & factis verè
Sanctus eſſet, ac talis vno omniũ
ore celebraretur, diuinum conſpe
ctum intueri atque contemplari
mihi liceret. Cum igitur diuiniſ-
ſima hæc dona eiuſdem Dei incre
dibili beneficio tandem conſecu-
tus ſim, nihil mihi antiquius fuit,
quàm huc accurrere, vbi primum
beatos Sanctitatis Tuæ pedes oſ-
cularer, venerarerq;: Deinde im-
mortales tibi gratias agerẽ, (quo
ego munere, vt debeo, animo li-
benti & humili fungor) quòd fra
trem

trē noſq; omnes illius cōſanguineos, qui nūc ab eo pēdemus, magno honore decoraſti; Deniq; benigniſſimo aſpectu pręſētiaq; tua aliquandiu fruerer, quod magis optandū, quàm ſperandū arbitrabar. Quæ omnia cū mihi ex ſentētia ſucceſſerint diuiua aſpirāte gratia, hoc exiguum reliquę vitæ tempus ſpero fore ipſomet Deo adiutore, vt à me feliciter traducatur & ad cōmemorandam quotidie ſingularem Sanctitatis tuæ in me libenter audiendo humanitatem relictum mihi putetur. Quod reliquum eſt, Sanctitatem Tuā ſupplex oro atque obſecro, vt fratrem meum ſicuti Antiſtitem Carpentoracti ſponte creaſti non merito ſuo, ita ſi eum magnopere in curam gregis ſui incumbere, neque illius integritatem, operam, diligentiamq; in adminiſtrandis ijs, quæ ad Eccleſiam ſuam, ac præſidis officium pertinent, à quoquā deſiderari intellexeris, ob hęc ſua merita fouere tua beneuolentia, tueriq; ue non graueris: Mihi autē large benedicere velis, & in numę

rũ ſeruorũ tuorum vere humiliũ me aſcribere; Conabor enim ſic tibi eſſe quam gratiſſimus, vt nunquam Clementiſſimum Deũ precari intermittam, Sanctitatem Tuam vti ſoſpitem perpetuo cuſtodiat & protegat, ac tua conſilia omnia tuaſq; actiones omnes fortunet, felicesq; tibi reddat. Pridie idus Aprilis. M D LXX.

AD LECTOREM.

NON me latet lector optime te valde miraturũ eſſe, cum omnes ferè, qui leges cõdunt, eas latine ſemper ſcriptas ferant, Cur Iulius Cananus Epiſcopus Adriæ ſuas quas vocant, conſtitutiones vernacula lingua promulgauerit. At ſcito Antiſtitem illum prudentia iudicioque & magno rerum vſu præditum non temere, non caſu, ſed omnia conſultò cõſiderateq; feciſſe. Is.n.cum cõperiſſet in diœceſi ſua plurimos ſacerdotes ſenes eſſe, qui latinam linguam non callerent, nedum litteras ſacras, quarũ ignoratione in animarum curatione ſæpiſſime peccatur, cuperetq; prouidere, ne ob eorum inſcitiam aliquid eueniret mali, cui poſtea remediũ adhiberi nõ poſſet, eaq; ex re non nullum exiſtimationis ſuæ periculum in ipſum redundaret, quaſi illius negligentiæ, inertiæq; & non miſeris temporibus

pditisq; tribuendū ſit, quibus ple roſq; tenet mētis prauitas. (Quid enim optimus Pontifex non moli tus eſt, vt ciuitatem ac diœceſim ſuam viris doctis ac probis ornaret?) Statuit & ſapienter leges ſuas vulgari ſermone conſcriptas edere, ne cuiquam ſuorum ignorãtia excuſationis loco eſſe poſſit, Non neſcius eos, ſi qui ſunt, qui doctrina præſtent, egre non laturos eſſe, quòd ipſe multorum vtilitatis rationē duxerit; Sed & illas pluribus verbis deſcriptas diuulgauit, vt in eorum animis notitia illarum rerum, quæ ad curandas animas, ad conformandosq; mores potiſſimum ſpectant, maximè imprimeretur: preclare enim cū eis actum iri arbitratus eſt, ſi illud quoq; dicendi genus recte perciperent; nec veritus eſt ne in varias reprehenſiones incurreret, dummodo ſacerdotes ſuos ad colendū deuote clementiſſimum Deū, ad maiorum inſtituta, ad modeſtiam morumq; emendationē erudiret. Dices; nonne libri multi de his rebus ita copioſe, itàque

diluci

dilucide cõſcripti sũt, vt nullus errori locus relinquatur, quos in manibus habere & paruo eſt in poteſtate omnium? Nec hoc ignorauit Antiſtes ille prudentiſſimus: Verum & illud probe ſciuit in eorũ lectione non verſari, impune quidem ipſis licere, vt vero decreta ſua legere negligant, ipſis non eſſe integrũ, ne pœnas forſitã eas dent, quæ eis ipſis decretis conſtitutæ ſunt. Quod facile accidere poſſet ijs, qui ad ſynodum vocati, ac de quapiam re interrogati eorum rudes ignariq; reperiretur. Quæ omnia cum Antiſtes noſter acie mẽtis & ingenij præuiderit, quis eius conſilium non probet, ac eximiã virtutem laudibus non extollat? Quare mirari deſine, & exploratũ habe optimum illum virum Dei primum opt. max. honorem; Deinde illorum, qui ei ſubiecti ſunt, ſalutem ſibi ante oculos propoſuiſſe. In qua cogitatione cũ ſemper defixus fuerit, merito ab omnibus ſapientiæ laudem tulit. Vale.

rat: Sacerdotes vero ſuos in diſcē
dis litteris non multam operam
ponere, quò fit vt eorum pleriq;
latine neſciant; Ac præuidēs huic
malo vllam medicinam adhiberi
non facile poſſe, & quòd loci na-
tura, atq; illorum hominum ſta-
tus condicioq; non ferat, & quòd
nihil contra naturam contenden
dum ſit; Idcirco ſtatuit ſuis tantū
ſacerdotibus decreta ſua lingua
vernacula edere atq; publicare,
nec in manibus hominum exter-
norum ea deuenire concupiuit;
In quibus ita diſtinčte, ita clare,
atq; dilucide præcepta ab eis dili
genter ſeruanda tradidit, & vitæ
modum illis conſtituit, vt ignora
tioni locum penitus non relique
rit, nec excuſationi quoq;, vt im-
punitatem ſe aſſequi ſperent, ſi,
cum ſacerdotes ſuos in curatione
animarum, atq; ſacrarum rerum
adminiſtratione aſſidue verſari
oporteat, aliquo eos errore duci
contingat. Nam Antiſtes ille hu-
maniſſimus quos labores non ſu-
ſtinuit, vt eos optime erudiret, &
ad implendas partes ſuas aptos
ido-

ſint quis optimum Pontificem iu re reprehendere poterit, quòd ſe ad ſacerdotum ſuorum capacitatem atq; ingenium accommodarit, nec eis plus oneris imponendũ putarit, quàm ipſi ferre queãt? Nemo nõ, opinor, eũ ſummis laudibus dignũ eſſe, atq; iudicio multum præſtare cenſebit, quòd ſuorum hominum vitam naturam, moresq; optime nouerit. Quare noli tu quoque mirari, quòd inſtituta veterũ in hac re ſequi minime voluerit, cum in cæteris ea tenere omnibus viribus conetur; Sed cogita, vt res eſt, ſalutem animarum ante oculos ei obuerſatam fuiſſe, nihil pręterea, vt ipſe in altero ſeculo non ſolum prudentię atque ſolertiæ ſuę, ſed laborum etiam ac vigiliarum multarum præmium à Deo ſempiterno ſupremoq; ſibi perſolutũ iri, ſperare, debeat. Vale.

FINIS.

Aeterno, atq; Immortali Deo laus, honor, & gloria.

n 18

Index eorum ad quos miſſæ ſunt Epiſtolæ.

A

ALexandro Canalio. 70. 72.
Alexandro Saido.
Alexandro Sacrato Equiti Hieroſolymitano. 245
Aldo Manutio. 32. 256
Antonio Montecatino. 385
Antonio Manfredo. 264
Antonio Riccobono. 118. 120. 133. 134. 137. 161. 183. 200. 340.
Auguſtino Valerio Epiſcopo Veronæ. 65. 67. 110. 112. 145. 147. 169. 203. 225. 300. 378
F. Auguſtino Foroliuienſi. 184. 201.
Auguſtino Maranio. 376
Bartholomeo. 122
Benedicto Manzolio Epiſc. Regij. 292. 391
Carolo Sigonio. 380
Carolus Sigonius Paul lo Sacrato. 382
Carolo Hanffrengues 318.
Carolo de ſancto Sixto. 353
Cæſari Glorierio. 218. 310
Claudio Canijello Medico. 356
F. Egidio Epiſcopo Mutinæ. 13
Ercoliano Monitio Præpoſito. 361
Fabio Maſeto. 128. 247 249. 267.
Fl. Antonio Gyraldo.
Franciſco Alciato Cardinali. 346
Franciſco Martellio. I. C. 205
Franciſco Morando. 81. 100. 102. 128.
Franciſco Paludino Primicerio. 123. 192.
Gregorio Carretto. 350 366.
Gulielmo Sirleto Cardinali 210. 243. 155. 279. 283. 302. 351.
Hadriano Epiſcopo Iuſtinopolitano.
Herculi Ciofano 344 364. 368.
Herculi Sacrato Epiſcopo Comacli. 265.
F. Heliſeo Inquiſitori. 273. 303.
Hieronymo Benintẽd. 338
Hieronymo Bouio 394
Horatio Morono. 167
Iacobo Sadoleto Cardinali. 3
Iacobo Sacrato Epiſc. Carpẽtoracti 308. 410
Iacobo Philippo Tha

Ho-

413 FINE

monio. 285. 297.
Ioanni Antonio Angiario. 275
Ioanni Angelo Papio I.C. 396
Ioanni Baptiſtæ Foſchino. 11
Ioanni Baptiſtæ Sacrato. 1
Ioãni Baptiſtæ Pignæ. 237
Ioãni Bapt. Sacrato 9
Ioanni Baptiſtæ Spinellio. 105
Ioanni Gulielmo. 359
Ioanni Franciſco Comendono. 221
Io Mario Criſpo 393
Ioanni Morono Cardin. 63. 164. 177. 258
Ioſepho Faſinardo.
Iulio Canano Epiſc. Adriæ. 92. 95. 97. 98. 114. 115. 117 131. 148 151. 176. 181. 227. 233
Iulio Maſeto. 214. 231 235. 246.
Lælio Arloto. 262. 271 277.
Ludouico Becatellio Archiep. Raguſino 16
Marco Antonio Mureto. I.C. 38. 40 41. 44. 49. 69. 74. 77. 84. 86. 88. 91. 125. 140. 143. 154. 157. 159. 171. 172 174 186. 188. 191. 216 229 241. 252. 305. 372
Marcus Antonius Muretus I.C. Paullo Sacrato. 42 47. 51 76. 79 85. 89. 127. 142. 153 156. 175. 185. 289. 217 269. 287 307. 375.
Marco Antonio Martellio. 58
Marco Fortiæ. 193. 196. 229.
Nauagerio Card. 66
Nicolao Thalamio 206. 261.
F. Octauio Pantagatho. 34
Octauio Sãctacrucio Epiſc. Ceruiæ. 329
Pacio Scalæ. 103. 198 398.
Paullo Fortiæ. 311
Paullo Leonio Epiſc. Ferrariæ. 281. 381.
Paullo Manutio. 18. 23. 25. 27. 29.
Paullus Manutius. Paullo Sacrato. 21. 31
Petro Viano Precentori. 355
Petro Lippo[illegible] ſcopo Veronæ.
Philippo Mocen[illegible] Archiep. Cypri. 2[illegible]
Põp. Rocchio. 348 38[illegible]
Ptolomeo Gallio Cardinali Comenſi. 179.
Renato Cato. i.c. 370
Simoni Caſſolæ. 106. 108. 152. 342.
Vido Pãcirollo i.c. 37.
Vincentio Fãtino. 55. 208.

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Pag. 37	lin. 25	*ſi væ leg.*	*ſi tuæ.*
41	*penult.*	*ambalius.*	*amabilius*
72	23	*feciam*	*faciam*
	31	*sceat*	*liceat.*
120	22	*perceptum*	*percepturum*
163	5	*pontificum*	*pontificium*
168	6	*ſuſpiciet*	*ſuſpiciat*
192	*ult.*	*uales*	*ualles*
197	16	*rogo etiã.*	*rogo ẽt atq etiã.*
247	5	*forer*	*fore*
257	25	*ea*	*eam*
360	17	*fuimur*	*fruimur*
321	24	*ſunt*	*ſint*
322	5	*tuæ*	*tuo*
244	7	*fatebris*	*fateberi*
345	6	*nim*	*non*
362	28	*indicij*	*iudicij*

STAURO DEL LIBRO
di LELLI
MARIO
18 OTT. 1971